Edelbluth - De Coniunctionum Usu
Lucretiano Quaestiones Selectae - 1895

Cutme

DE

CONIUNCTIONUM USU LUCRETIANO QUAESTIONES SELECTAE.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSEQUENDOS

SCRIPSIT

THEOBALDUS EDELBLUTH

RHENANUS.

MONASTERII GUESTF.

EX TYPOGRAPHIA IOANNIS BREDT.

MDCCCXCV.

THEOBALDO EDELBLUTH

SACERDOTI DIOECESIS TREVIRENSIS

PATRUO MEO CARISSIMO

GRATO ANIMO HUNC LIBELLUM SACRUM ESSE VULT

SCRIPTOR.

Studia Lucretiana diu neglecta, postquam Lachmannus editione sua critica (Berolini 1850) firmum constituit fundamentum, quo niti possimus in cognoscendo Lucretii dicendi genere, idemque et Munro commentariis suis carmini Lucretiano lucem adtulerunt, laete efflorescere coeperunt. Quoniam autem constat ad plenam ac perfectam linguae cognitionem nisi singula accuratissime perquirendo perveniri non posse, multi viri docti in singulas sermonis Lucretiani partes diligenter examinandas incubuerunt. Neque vero Lucretii dicendi genus ab omni parte perquisitum atque illustratum est; restant adhuc multa, quae nondum satis exposita atque explanata sint, neque ea, quae Holtzius in libello suo, qui inscribitur: *Syntaxis Lucretianae lineamenta* (Lipsiae 1868), docet, ad sermonem Lucretii accurate cognoscendum sufficiunt. Praeterquam enim quod vir doctissimus alia plane omisit, alia minus recte exposuit, fere satis habuit conferre exempla neque vero perquisivit quatenus Lucretius bonae latinitatis scriptores secutus sit, quatenus ab iis recesserit. Qua de causa coniunctionum usum Lucretianum accuratius perscrutari mihi in animo est neque vereor ne susceperim laborem inutilem praesertim cum Holtzius solis copulativis coniunctionibus, ut ipse fatetur in praefatione libelli sui, sedulam operam navaverit et ab altera parte accurata cognitio usus coniunctionum saepe multum nos adiuvet ad poetae manum restituendam, ut ex hac commentatione satis apparebit. Praetermittam autem coniunctiones copulativas ab Holtzio tractatas, causales, quae in sententiis subordinatis leguntur, de

quibus egit Reichenhartus[1]), condicionales, quarum usum exposuit Schroeter[2]), interrogativas, denique p. cum temporalem, de qua egit A. Krausius[3]). Ita autem rem instituam ut facultate data de locis dubiis meum iudicium proferam et locos corruptos emendare studeam.

Ceterum in citandis exemplis secutus sum numeros editionis Bernaysianae (Lipsiae 1890).

---

1) *Die subordinierenden causalen Conjunctionen bei Lucretius* p. I: Programm der Lateinschule zu Frankenthal 1880/81. p. II: Blätter für das bayr. Gymnasialwesen XVIII p. 97 sqq.

2) *Die Condicionalsaetze des Dichters Lucrex,* diss. inaug. Jenae 1874.

3) *De quom coniunctionis usu ac forma,* diss. inaug. Berolini 1876.

A.

De particulis, quibus coniunguntur sententiae coordinatae.

§ 1. De particulis adversativis.

1. De particula *sed.*

a) Eius usus particulae *sed*, quo duae sententiae vel notiones ratione contraria inter se ponuntur, exempla adferre supersedeo.

b) P. *sed* oratio digressione interrupta redintegratur aut alia instituitur quaestio velut I 418 *(sed nunc ut repetam coeptum pertexere dictis . .)*; 951 *(sed quoniam docui . . ., nunc age . .)*; IV 926; V 146.

c) Coniunctio *sed tamen*, qua plerumque sententia eis, quae antecedunt, constringitur, compluribus locis Lucretianis legitur ut I 833; II 541, 907; III 261, 733; IV 687, 1163; V 104. Duo vel tria vocabula intercedunt I 140 *(sed tua me virtus tamen . .)*; 498 *(sed quia vera tamen ratio . . cogit . .)*.

d) *Sed magis* idem significans atque *sed potius* inveni I 481, 612; II 97, 428, 869, 1041, 1086 *(sed — magis)*; III 126, 612, 980; IV 260; V 980, 1201 *(sed mage)*. Contra legitur *sed potius* I 942 = IV 17; IV 835, 1066; VI 1163.

e) *Sed enim*, quae locutio apud poetas non rara invenitur, apud Lucretium frustra quaeres.

2. De particula *at*.

Particularum adversativarum longe creberrime poeta usus est p. *at* Atque adhibuit hanc particulam:

a) saepissime in opponenda re contraria vel diversa velut I 252, 778, 828; II 150, 157, 355, 786; III 299, 302, 402, 413, 904 *(tu quidem —, at*[1]) *nos . .)*, 1066; IV 148, 555, 566, 639, 1169; V 18, 43, 228, 543, 815, 861, 868, 992, 1065[2]), 1118; VI 519[3]), 804, 963, 967, 969 alibi.

---

[1]) Oblongus prima manu et Quadratus habent *ad* cf. Goebelius, Mus. Rhenan. 1860 p. 414.

[2]) Codd. praebent *at;* Lachmannus male coniecit *et*, quae mutatio Bernaysio Munroni Briegero probata est. Equidem hoc loco coniectura omnino non opus esse puto. Lucretius enim non solum pergit ‚*iisdem canibus alios atque alios vocum sonos adscribere*', ut dicit Lachm., sed ostendit etiam bestias dissimiles voces variasque edere solere prout metus aut dolor aut gaudium eas occupaverit cf. v. v. 1057 sqq. Particula *at* igitur sibi opponuntur non tantum voces, quas emittant canes, verum etiam animi motus, ut ita dicam, quibus efficiantur variae illae voces. Locus autem ille (V 1081 ed. Bern.), quem Lachm. ad confirmandam suam coniecturam adfert, prorsus nihil valet, quod ibi particula *at* locum omnino non habet, quia oppositio nulla exstat.

[3]) In codd. versus sic legitur:

at retineret diu pluviae longumque morari consuerunt . . .

Antiqui correctores *retineret* in *retinere* mutaverunt; quam mutationem Lambinus et Faber explicant: *morari homines et domi retinere.* De inepta hac interpretatione verba facere supersedeo. Lachm. deinde poetae manum restituisse sibi videbatur coniectura sua: *atque tenere diu.* Lachmanno adstipulati sunt Munro et Brieger. Bernaysius vero audaciore mutatione usus coniecit: *at remanere diu.* Quae coniecturae aeque displicent: Lachmanni quod talis usus verbi tenendi exempla apud poetas non iuveniuntur, Bernaysii vero quod nimis recedit a codd. memoria. Equidem puto sane scribendum esse: *at retinere diu . . .;* neque vero hanc scripturam interpreter ut Lambinus et Faber, sed ita ut *retinere* positum esse dicam pro *retineri.* Lucretius enim satis multis locis pro verbo reflexivo vel passivo usus est verbo activo. cf. Lachm. ad VI 1190, Munro ad I 397, 787; II 126; III 502; IV 1130; V 931; VI 595, 1190; Holtzius l. c. p. 118 sqq. Usurpantur autem sic praesertim verba movendi, ut *convertere, derigere, immutare, movere, mutare, reflectere, trahere,*

b) in continuanda narratione vel enumeratione, velut III 312 *(hic — ille — at ille)*; IV 412, 434, 445, 995, 1000, 1157 sqq. *(at — vero — at)*; V 648, 942, 992[1]), 1026, 1034, 1359, 1377, 1434; VI 804.

---

turbare, vertere, volvere alia. Lachm. explicare studet, quando liceat verbum activum pro verbo passivo usurpari. Ac docet ad VI 1190 exemplo usus passivum *moveri* tum requiri, cum membra hominis ab ipso homine vel causa, quae sub oculos cadat, moveantur; sin autem membra moveantur causa, quae non cadat sub oculos, licere activum poni. Lachmanni sententia Bernaysio et Munroni probata est. Quod cum ita sit, nihil obstare puto, quominus loco, de quo agimus, scribatur: *at retinere,* quod dictum sit pro *at retineri.* Nam in hac quoque re causa, quare pluviae retineantur, nulla sub oculos cadit. Tum igitur evadit sententia haec: at manere diu pluviae .... consuerunt. *Retineri* enim idem est atque *manere* anhalten, andauern. Eandem durandi sententiam, quam hic tribui verbo retinendi, habet simplex verbum tenendi et compositum verbum obtinendi, ut apparet ex his exemplis:

Livius	I, 4, 6	*(tenet fama)*
	I, 17, 6	*(nomen tenet)*
	II, 3, 5	*(consultatio tenuit)*
	III, 19, 2	*(hae tenuere contentiones)*
	III, 47, 6	*(silentium aliquamdiu tenuit)*
	XXI, 46, 10	*(fama obtinuit)*
	XXIII, 12, 2	*(fama tenuit)*
	XXIII, 44, 6	*(imber tenuit)*
	XXIV, 47, 15	*(incendium tenuit)*
	XXV, 15, 16	*(seditio tenuit)*
	XXV, 27, 6	*(⟨venti⟩ tenebant)*
	XXIX, 27, 7	*(noctem insequentem eadem caligo obtinuit)*
	XL, 8, 20	*(diu silentium tenuit)*
Quintil. institt. orat.	II, 1, 1	*(tenuit consuetudo)*
	VIII, 5, 2	*(consuetudo iam tenuit)*
	IX, 4, 47	*(nomen tenet).*

[1]) H. Sauppius in Ind. schol. hib., Gotting. 1864 p. 16 pro ‚*at quos*‘ legi vult ‚*ac quos*‘. Sed praeterquam quod p. *ac* ante consonantes gutturales uno loco (VI 440) excepto in Lucretii carmine non invenitur (cf. M. Hauptius, Obss. critt. p. 35 sq. = Opusc. I p. 108 sq.), p. *at* offensionem nullam praebet, quippe quae ad sententias simpliciter inter se vinciendas saepe a Lucretio adhibita sit.

c) in opponenda aliqua re, quae re vera est vel fit, praemissae rei negatae; tum p. *at* idem significat ac nostrum *wohl aber*. Cuius usus particulae *at* exempla satis rara sunt. Apud Lucretium haec exstant exempla: IV 609 *qua propter cernere nemo saepem ultra potis est, at voces accipere extra;* VI 1169 *nil adeo posses cuiquam leve tenveque membris vertere in utilitatem, at ventum et frigora semper.* Codd. hoc loco praebent *ad ventum.* Sed Lachm. optime *at ventum* coniecit, quae coniectura lenissima eademque probabillissima est ideo quod aliis quoque locis carminis Lucretiani in codd. *ad* scriptum legimus pro *at.* cf. Lachm. ad hunc locum.

d) satis crebro in assumenda syllogismi propositione minore, quam vocant logici, velut I 440 sqq *praeterea per se quodcumque erit, aut faciet quid . . . aut . . . aut . . .: at facere et fungi sine corpore nulla potest res, nec praebere locum . . .; ergo . . .;* 543 *(at quoniam . . .);* 581 *(at quoniam . . .;* II 910; III 186, 515, 629; V 364 alibi.[1])

e) in obicienda aliqua re: I 803 *‚at manifesta palam res indicat' inquis ‚in auras aeris . . . res omnis crescere alique . . .'; scilicet . . .;* 897 *‚at saepe in magnis fit montibus' inquis ‚ut altis arboribus vicina cacumina summa terantur . . .'; scilicet . . .;* III 356[2]) *‚at dimissa anima*

---

[1]) Liceat hic commemorare Lucretium particulam *atqui* prorsus vitavisse. Quare Briegeri (Philol. XXVII p. 48 et in editione sua) coniectura, qua cum Juntina editione in III 529 pro codd. scriptura *scinditur atque* scribi vult *scinditur atqui* reicienda est neque, si p. *atqui* Lucretio in usu fuisset, postposita esset, quia *at* quoque particula apud hunc poetam semper primum sententiae locum tenet.

[2]) Suo iure Lambinus, Bockemueller, Susemihlius (Philol. XXVII p. 37 sq.), Vahlenus (Ind. lect. hibern., Berolini 1881/82 p. 17) hoc loco p. *at* obiectionem inferri contendunt. Nam poetam, postquam in v. 350 sqq. dixit eum errare, qui credat animam solam suscipere motum, quem sensum appellamus, perrexisse: *at dimissa anima corpus caret undique sensu* equidem mihi persuadere non possum. Aut igitur in v. 356 obiectio statuenda est aut, quod minus placet, v. 356 sqq. delendi sunt ut vult Lotzius (Philol. VII p. 722 sq.).

corpus caret undique sensu: perdit enim . . .'; VI 673 ‚*at nimis est ingens incendi turbidus ardor*'. *scilicet* . . . Restat unus locus, V 170, de quo iudicia virorum doctorum tantopere inter se discrepant, ut operae pretium esse putem de hoc loco paulo accuratius agere. In codd. igitur inde a V 168 hic versuum ordo exstat:

168. *quidve novi potuit tanto post ante quietos*
inlicere ut cuperent vitam mutare priorem?
170. *nam gaudere novis rebus debere videtur*
cui veteres obsunt: sed cui nil accidit aegri
tempore in anteacto, cum pulchre degeret aevom,
quid potuit novitatis amorem accendere tali?
quidve mali fuerat nobis non esse creatis?
175. *an* (Quadr. *anc*) *credo in tenebris vita ac merore iacebat,*
donec diluxit rerum genitalis origo
natus enim debet sqq.

Lambinus igitur cum intellegeret verba *an credo — origo* ad hominem nondum natum respicere non posse, versum *quidve mali — creatis* ante versum *natus enim debet* sqq. posuit. Lachm. deinde, cui Lambini mutatio non placebat quod hoc modo maneret id neque refutaretur quod his duobus versibus *(an credo — origo)* contineretur, p. *an* in *at* mutata v. v. *at, credo — origo* transtulit ante v. *nam gaudere*. . . . Ei adstipulati sunt Bernaysius, Munro, Pollius (Philol. XXVI p. 345). Illam Lachmanni transpositionem Bergkius (Jahni Annales LXVII p. 324) primus suo iure improbavit eumque secuti sunt alii. Bergkius igitur Lambini versuum collocationem omni dubitatione carere existimat dummodo pro voce *credo* legatur *caeca*. Quae coniectura Goebelio [1]) probata est. Sed ne ita quidem removetur offensio, quae versatur in eo quod duobus his versibus *(an credo — origo* sententiarum cohaerentia male interrumpitur, ut paulo infra ostendam. Langenus [2]) deinde

[1]) Observationes Lucretianae et criticae et exegeticae, diss. inaug., Bonnae 1854 p. 44 sq.

[2]) Philol. XXXIV p. 35 sq.

Lambini versuum collocationem defendit nisi quod cum Lachmanno *at* legit pro *an*. Putat enim vir doctissimus sententiam, quam desideramus post verba *sed cui nil accidit aegri — amorem accendere tali* — est autem haec fere: atqui diis nil accidit aegri tempore in anteacto, ergo nulla erat causa cur cuperent vitam priorem mutare — contineri verbis cum ironia quadam prolatis *at, credo, — origo.* Haec explicatio, quamquam Briegero[1]) placuit, tamen, num ab omni parte recte se habeat, equidem dubito. Praeterquam enim quod haud facile intellegitur verba illa cum ironia dicta esse, duobus illis versibus totius loci concinnitas male perturbatur. Dicit enim poeta, si sequimur versuum ordinem, qui exstat in codd., inde a v. 165 haec fere: quid emolumenti gratia nostra diis adferre queat ut nostra causa aliquid suscipiant? (Prorsus nihil.) Aut quid potuit deos adhuc quietos illicere ut vitam suam tranquillam mutare vellent? (Certe nihil.) Novis enim rebus is solus studet, cui veteres res obsunt; qui vero degit vitam perpetuo malis liberam, quid tali homini potuit excitare desiderium mutandae prioris vitae condicionis? Aut quid mali nobis hominibus esset, si omnino non creati essemus? (Prorsus nihil.) Sequuntur nunc duo illi versus *an credo — origo.* Tum pergit poeta: nam qui natus est debet velle in vita manere quamdiu eum retinebit vivendi voluptas; qui vero nunquam vitae amorem gustavit, quid tali homini noceret si creatus non esset? Apparet ex his arctissime inter se cohaerere versus:

quidve novi . . .
inlicere ut . . .
nam gaudere . . .
cui veteres . . .
tempore in anteacto . . .
quid potuit . . .

quibus in versibus de diis sermo est, pariterque versus:

quidve mali . . .

---

[1]) Bursian, Jahresb. VI p. 190.

natus enim . . .
in vita . . .
qui nunquam . . .
nec fuit . . .
quibus in versibus de hominibus sermo est.

Hae duae versuum series prorsus eodem modo comparatae sunt. Primum in utraque serie ponitur interrogatio, post quam responsio negans subaudienda est, tum additur causa negantis responsionis, denique in fine utriusque seriei iteratur iisdem fere verbis expressa interrogatio, quae initio posita erat. In utraque igitur parte cohaerentia sententiarum absoluta est ac perfecta neque quidquam iam desideratur. Quae cum ita sint, duo versus illi, sive cum Lachmanno *at, credo, . . .* sive cum Bergkio *an caeca . . .* legis, locum non habent, quippe quibus concinnitas sententiarum foede perturbetur. Mihi igitur persuasum est duos illos versus a lectore quodam poetae refellendi causa adscriptos esse in margine fortasse ad verba *cum pulchre degeret aevom;* indeque versus postea in poetae verba irrepserunt. Eosdem versus delere iam ante me proposuerat Neumannus [1]). Eius vero argumentum, quo nisus illos duos versus a Lucretio alienos esse comprobare studet, prorsus aliud est, sed quod mihi non probetur, quia cum Lachmanno in ea sola re haeret quod non refutetur sententia, quae illis versibus contineatur. Quid enim obstat quominus post duos illos versus lacunam statuamus? Tum iam omnia optime quadrarent, ut quidem Neumannus putare videtur. At ne sic quidem ferendi essent illi versus, quibus sententiarum cohaerentia pervertitur.

f) Particula *at* ita usurpata ut ea, quae in aliena oratione proferuntur, reprimantur aut absurde prolata appareant, his locis legitur: III 662 sqq. *omnibus esse igitur totas dicemus in illis particulis animas? at ea ratione sequetur . . . .;* 771 sqq.; VI 412 sqq. *an hoc ausis nunquam contendere*

---

[1]) De interpolationibus Lucretianis, diss. inaug., Halis Saxonum 1875 p. 37 sqq.

factum, ut fierent ictus uno sub tempore plures? at saepest numero factum . . .

g) *At* vel *at tamen* legitur in apodosi post sententias condicionales et concessivas. Sic inveniuntur illae particulae post:

si non II 1017 *si non omnia sunt, at multo maxima pars est consimilis;* III 406 *si non omnimodis, at magna parte animai privatus . . .;* VI 321 sq.
si minus II 458 *si minus . . at . . tamen*
III 170 *si minus . . at tamen*
quodsi III 531 *quodsi . . at . . tamen*
etsi III 1016 *etsi absunt, at mens . . .*
ut II 920 *ut possint, at . . nil facient . .*
IV 471 *ut . . at . .*
quod, sonans *was das angeht* II 532 *nam quod . . at . .*

tum post *esto* imperativum, qui quodammodo in particulae concessivae vim ac notionem abiit III 733 *sed tamen his esto quamvis facere utile corpus cui subeant: at qua possint via nulla videtur.*

At contra saepenumero in Lucreti carmine legitur I 366 (codd. *aut contra*), 570, 1087; II 74 (*at haec contra*), 235 (*at contra*), 392, 400, 404, 424, 713; III 25, 191, 198, 201; IV 93, 623, 659, 840[1]); VI 976.

---

[1]) Vahlenus (Ind. lect. hibern., Berolini 1881/82 p. 17) contendit in IV 840 obicientis orationem induci, respondentis vero voce *scilicet* in v. 845. Quoniam autem particulae *at contra* in v. 840 isti occurrendi modo minus conveniunt, ut ipse Vahlenus sensit, vocem *contra* non cum p. *at* coniungendam esse dicit, sed cum verbis *conferre manu certamina pugnae.* Haec viri docti sententia probabilis non est. Docuit enim exemplisque comprobavit poeta inde a v. 820 in corpore nihil usus causa natum esse, sed, quidquid in corpore natum sit, id procreare usum. Iam inde a v. 840 nonnulla adfert, quae usus gratia nata sint; haec autem, quae enumerat, nullo modo ad corpus hominis spectant. Obiectio igitur hic locum non habet; tum demum apta esset obiectio, si ab adversario ex corporis partibus vel membris quidquam proferri posset, quod

3. De particula *autem*.

De p. *autem*, quae septies decies apud Lucretium invenitur, recte disputavit Holtzius (l. c. p. 167 sq., 185.) neque habeo quod addam.

4. De ceteris particulis adversativis.

a) *Verum* particula, quae vicies in Lucretii carmine exstat, ex communi scriptorum usu usurpata est neque quidquam memorabile praebet. Legitur autem p. *verum* hisce locis I 402, 684, 822, 895, 902; II 696 *(verum . . tamen)*, 814 *(verum . . magis)*, 1018; III 99, 152, 608; IV 72, 239, 265 *(verum magis)*, 675, 739; V 330; VI 100, 704, 710.

b) *Vero* particula duae sententiae ratione contraria inter se ponuntur IV 1086; V 179. Ceteris locis omnibus p. *vero* sententiae non tam contraria ratione inter se ponuntur quam simpliciter inter se vinciuntur et quodammodo efferuntur, ita ut p. *vero* nonnullis locis idem fere significet atque *vere* vel *re vera* II 593; III 950, 1009 *(iam vero)*; IV 379, 626, 983, 1134, 1159; VI 178, 336, 971 [1]) 1166, 1188. Praeter hos locos p. *vero* legitur VI 1151, ubi p. in apodosi posita est. Hoc loco offendit Kannengiesser [2]). Docet enim vir doctus particulam *vero* a Lucretio non usurpari nisi vi adversativa praeditam, adversativam autem particulam in apodosi locum non habere. Quare versum 1151 ante v. 1154 collocandum esse. At errat cum putat p. *vero* in carmine Lucretiano semper esse adversativam. Satis enim multis locis, ut modo docui, p. *vero* meram efferendi vim habet. Kannengiesseri igitur offensio nulla est neque v. 1151 transpositio

---

usus causa natum esset. Sed obici aliquid, de quo poeta nihil statuit, satis esset ridiculum. Hac de causa mihi improbatur Vahleni sententia de particulis *at contra* in v. 840.

[1]) Lachm. contra codd. consensum pro *quasi vero* coniecit *quasi vere* eumque secuti sunt Bernaysius et longe plurimi recentium interpretum. Sed Munro et Brieger suo iure *vero* servant, quod idem est ac *vere* vel *re vera*.

[2]) De Lucretii versibus transponendis, diss. inaug., Gottingae 1878 p. 41 sq.

ferenda est ideo quod sententia loci eam abnuit. Continent enim v.v. 1152 et 1153 explicationem versus 1151 i. e. signum laban tium vitae claustrorum. Eodem modo sine iusta causa idem vir doctus offendit in p. *vero* in II 652 [1]).

Quidem vero, quae coniunctio rarissima est, legitur I 1001 *omne quidem vero nil est quod finiat extra;* II 652 *terra quidem vero caret omni tempore sensu.* Praeterea e Marulli coniectura, quam Munro in poetae verba recepit, *quidem vero* legitur V 898 [2]).

Semel in interrogatione, quae est indignantis, particulam *vero* habes: III 1043 *(tu vero dubitabis et indignabere obire?).*

Quod attinet ad collocationem p. *vero* apud Lucretium plerumque secundum locum obtinet II 593; III 1043; IV 379, 626, 1159; VI 178 aut tertium III 950; IV 1086, 1134; V 179; VI 1151, 1188; quartum locum tenet VI 971, 1166; quintum denique locum obtinet III 1009 *(Cerberus et Furiae iam vero . .).*

Adiungam hic formulam *non solum — sed etiam* et similes. Eiusmodi formularum perpaucae tantum exstant et eae quidem, quae aut rarissime aut omnino non inveniantur apud ceteros scriptores Romanorum. Usus est igitur poeta formulis his:

non . . solum — sed. Si in sententia, quae p. *sed* inducitur, particulae *etiam* vel *quoque* omittuntur, saepenumero res ita se habet ut in eiusmodi sententiis aliquid maius aut gravius proferatur. Quare in sententiis ita comparatis plerumque inveniuntur, e quibus appareat a re minore ad maiorem rem ascendi. Ita quidem apud Lucretium rem se habere locorum ratio demonstrat II 727 (*quae non animalia solum corpora seiungunt, sed terras ac mare totum secernunt caelumque a terris omne retentant); III 986 (qui non sola novem dispessis iugera membris optineat, sed qui terrai totius orbem . .).*

---

[1]) l. c. p. 20 sq.

[2]) Codd. exhibent: *flamma quidem cum corpora fulva leonum . . .* Lachm. versum cui unus pes deest sic explevit: *,denique flamma quidem cum corpora fulva leonum',* quam coniecturam Bernaysius et Brieger receperunt.

non solum — verum . . quoque IV 70 *(iacere ac largiri multa videmus, non solum ex alto penitusque, . . verum de summis ipsum quoque saepe colorem . .)*.

non . . solum — sed vero IV 983 *(non homines solum, sed vero animalia cuncta)*.

non . . solum — sed item IV 704 *(nec tamen hoc solis in odoribus . . est, sed item . .)*.

non modo — quoque IV 505 *(non modo enim ratio ruat omnis, vita quoque ipsa concidat extemplo . .)*.

non modo non — sed III 603 sq. *(non modo non omnem possit durare per aevom, sed minimum quodvis nequeat consistere tempus.)*

c) *Rursus* p. adversativa notione praeditam ita ut sonet *ex altera parte* inveni his locis I 308, 660; II 481; III 121.

d) Particulae adversativae vice quodam modo etiam p. *retro* fungi videtur, velut III 108 *(et retro fit uti contra sit saepe vicissim . .)* VI 1255.

e) Particula adversativa *contra* nonnullis locis Lucretianis legitur I 82 *(quod contra)*, 113, 363 *(contra autem)*, 455, 521; IV 346.

f. *Nunc* p., quae plurimis locis ad tempus pertinet, poeta nonnunquam usus est in opponendis sententiis et fere ita ut sententia p. *nunc* inducta id, quod periodo condicionali irreali, quae fere antecedit, ponitur ac fingitur, verum non esse significetur. Exempla habes I 110, 221 *(quod nunc)*, 963 *(nunc extra summam quoniam nil esse fatendum, non habet extremum, caret ergo fine modoque)*; II 1070; VI 570.

Nonnunquam poeta particulae *nunc* voce *at* anteposita maius pondus adtribuit; valet autem coniunctio *at nunc* idem quod *atqui*. Neque vero haec coniunctio legitur nisi in libro primo I 169, 244, 340, 561, 992 [1]).

---

[1]) Goebelius (Quaestt. Lucret. criticae, Salisburgi, 1857, p. 18) in II 1070 pro codd. scriptura *nunc et* (schedae: *nunc ad*), quam scripturam Munro et Brieger suo iure servant, cum Lachm. et Bern. *nunc ex* legant

Eandem oppositionis significationem habet coniunctio *nunc igitur* in assumptione syllogismi: I 675 *(nunc igitur quoniam . . .)*; III 203 *(nunc igitur quoniam . . .)*, 434 *(nunc igitur quoniam . . .)*; IV 232 *(nunc igitur)*, 752 *(nunc igitur quoniam . . .)*. Praeter hos locos eadem coniunctio *nunc igitur* exstat V 273. Sed hoc loco particulae illae longe aliam notionem habent ac quam modo exposui, quae res nonnullos viros doctos fefellit. Gneissius[1]) igitur V 273—280 in suspicionem vocavit offendens primum in eo quod particulae *nunc igitur* hic habeant notionem alienam a significatione, quam praebeant ceteris locis Lucretianis, tum in eo quod loci argumentum non recte se habeat. Quod attinet ad priorem offensionem concedo Gneissio ceteris locis Lucretianis illas particulas sonare *atqui*. At inde minime sequitur ut hoc quoque loco eandem habeant significationem, praesertim cum illis locis coniunctio *nunc igitur* ab initio sententiae et versus posita sit, hoc vero loco secundam sedem occupet. Sine dubio loco, de quo agitur, particulae *nunc igitur* soli coniunctioni inserviunt, quamquam non negem p. *igitur* insolito more positam esse, quod hic non primam, sed tertiam dispositionis partem inducit. Sed haec res non tantum valet ut totum locum (V 273—280) interpolatori tribuendum esse censeamus. Jam quod argumentum horum versuum magnas offensiones praebere Gneissius putat, vir doctus locum non satis accurate perspexisse videtur. Recte quidem docet Gneissius: ‚*V 276 278 dicitur, nisi aer res fluentes recrearet et amissa illa primordia retribueret, brevi tempore fore ut omnia dissolverentur et in aera verterentur*‘. Sed quod pergit: ‚*Lucretius vero rerum recreationem prorsus alio modo fieri narrat II 1105 sqq.*‘ id demonstrat quam non rationem habuerit Gneissius illius loci sententiae. II 1105 sqq. enim poeta non de rerum recreatione loquitur, sed de mundi

scribendum coniecit *nunc at*. Sed haec coniectura vel ideo mihi improbatur quod particula *at* nusquam in carmine Lucretiano postponitur.

[1]) De versibus in Lucretii carmine repetitis, diss. inaug., Argentorati 1878, p. 40 sqq.

augmento et amplificatione. Comprobat enim Lucretius II 1023 sqq. non unum esse mundum, sed innumerabiles; hos autem mundos esse mortales ideoque modo crescere, modo diminui atque interire (II 1105 sqq.) Crescunt autem mundi et amplificantur ‚*additis extrinsecus et circum seminibus*', recreantur res in mundis eo quod 'aer, ut docet Lucretius, quodcunque de rebus fluit in se recipit et tum rebus reddit. Neque alter locus (I 1035 sqq.), quem adfert Gneissius, quidquam valet, quod eandem praebet sententiam atque V 273 sqq. Infinitum enim in v. 1036 est spatium illud quod supra terram patet cf. I 995 sqq. In hoc autem spatio est aer. Quare recte dicitur ex infinito i. e. ex aere copiam materiae suppeditari, unde res amissa reparare et se ipsas recreare queant. pparet ex his argumentum loci (V 273—280) non esse suspectum. Quomodo autem removeatur offensio, quae maxime versatur in p. *igitur* in v. 273, adhuc nemo vidit. Kannengiesser[1]) quidem v. v. 273—280 post v. 260 collocandos esse putat propter quandam concinnitatem et responsionem, quae intercedat inter partem, quae est de umore, et partem, quae est de igne. Sed hac transpositione nihil efficitur ad explicandas particulas *nunc igitur*. Quod attinet ad totum locum V 247 323, qui multas explicandi difficultates continet, equidem iudico locum sic, ut nunc exstet, ab ipso poeta compositum esse, sed verisimillimum, ne dicam certum, esse poetam in ultima carminis recensione locum mutaturum fuisse.

g) Particulam *tamen* Lucretius prae ceteris particulis adversativis in deliciis habuit. Atque quamquam fere apparet huius particulae vis adversativa, tamen nonnullis locis haud ita facile enucleatur, quo factum est ut p. *tamen* in dubitationem vocata sit a viris doctis. Sed primum eos videamus locos, ubi adversativa particulae vis minime dubia est. Quae vis tum optime perspicitur, cum *tamen* p. ex adverso posita est particulis condicionalibus et concessivis. Atque praecedunt apud Lucretium

---

[1]) diss., p. 33 sq.

particulae *si*, *quodsi*, *sin*, *nisi*, *cum*, *quamvis*, *quamquam*, *quamlibet*, *licet*, *etsi*. Ac repperi:

si — *tamen* I 577; II 24, 674; III 845, 945 (*tamen* — *si*); IV 498, 1053; VI 1197.

quodsi — *tamen* III 720; V 195 (*quod si iam* — *tamen* . .).

si iam — *tamen* III 538, 841.

nisi — *tamen* VI 591, V 206 (*tamen* — *ni* . .)

sin — *tamen* III 758.

cum — *tamen* II 309, 469 (*tamen* — *cum*), 696 (*cum* — *verum* .. *tamen*); IV 104; VI 1213; his locis post cum concessivum coniunctivus legitur; indicativus vero sequitur p. cum concessivam I 566, 726.

quamvis — *tamen* I 346, 387, 398, 620; II 177, 644; III 307, 703; IV 303 (*tamen* — *quamvis*), 424.

quamquam — *tamen* I 734 (*tamen* — *quamquam* — *tamen*); II 277; VI 81.

licet — *tamen* VI 601, 620.

quamlibet — *tamen* III 985.

etsi — *tamen* I 120 (*etsi praeterea tamen esse Acherusia templa Ennius* . . *exponit*.) Verba *etsi praeterea tamen* cum breviloquentia quadam dicta sunt pro: *etsi Ennius haec cecinit*, *praeterea tamen* . . . *exponit*. V 1154.

quod sonans *quod attinet* — *tamen* V 913.

esto — *tamen* II 541 (*quamlubet esto* — *tamen* . . .), 907 (*esto iam* — *tamen* . .).

Praeterea p. *tamen* legitur post vocabula et locutiones, quae in se continent notionem concessivam velut II 264, 348 (*perge* . .: *invenies tamen* . .), 371, 890; III 120, 551 (*sed tamen in parvo lincuntur tempore tabi* . .), 1089; IV 950, 985, 989; VI 613 alibi.

Et tamen, ut docet Madvigius [1]), hac sententia ponitur: „*et*, *etiamsi illa*, *quae dixi*, *defecerint*, *tamen cet*. *Itaque*

---

[1]) In Ciceronis de finibus bon. et malor., editionis tertiae p. 283.

refertur p. ad tacitum intellectum et concessionem contrarii eius, quod antea positum est." Satis autem multis locis carminis Lucretiani *et tamen* legitur velut I 901 (*scilicet, et non est lignis tamen insitus ignis*), 1050; IV 808; V 766 [1]), 1094 [2]), 1123, 1175 [3]).

Cum tamen adversativa notione praeditum undecies in Lucretii carmine repperi. Ac sequitur hanc coniunctionem

a) indicativus I 823 = II 690; III 107, 643 (*cum . . tamen*).

b) coniunctivus II 71; IV 716; V 16, 479 (*tamen cum*), 518 (*tamen cum*), 1086 (*tamen cum*); VI 678.

Dum tamen cum coniunctivo praesentis coniunctum legis II 659 (*dum re vera tamen ipse . . . parcat . . .*); V 1427 (*dum plebeia tamen sit . . .*).

Eius usus p. *tamen*, quem Madvigius [4]) commemorat, ut ad eam significationem inclinet ut significet „*saltem*" vel „*certe*" cum ita additur vocabulo ut, quidquid de aliis rebus fiat, haec *tamen* (*saltem*) excipiatur, nonnulla exempla in carmine Lucretiano exstant velut II 859 [5]); III 959; VI 704.

Uno loco, VI 680, p. *tamen* insolito more usurpata est. Posita est enim in reditu ad rem tractandam eodem modo atque alibi p. *sed* vel *verum*.

---

[1]) Bockemueller pro *et tamen* sine iusta causa legi vult ‚*et tumida*'.

[2]) Bockemueller pro codd. scriptura, ‚*et ramosa tamen*' absurde legit ‚*aut rimosa abie*'.

[3]) Bockemueller male coniecit ‚*et famam*' pro ‚*et tamen*'.

[4]) l. c. p. 199.

[5]) In p. *tamen* offenderunt Bouterwekius (Quaestt. Lucr. p. 41), et Pollius (Philol. XXVI p. 323) variisque modis versum coniecturis temptaverunt. Sed p. *tamen* omni offensione caret neque opus est coniecturis Particula enim *tamen* iungenda est cum adverbio *ita*, ut sententia loci haec fere sit; *da diese sicher (wenigstens) so sind (mögen sie sonst sein wie sie wollen), dass . . .*

§ 2. De particulis disiunctivis.

1) De p. *aut*.

a) P. *aut* notiones et sententiae simpliciter diversae et contrariae disiunguntur velut I 223, 240, 883; II 421, 641, 693, 733, 782, 794, 800, 825, 933, 971, 1036; III 147, 511, 512, 514, 596, 916, 992; IV 38, 146, 301[1]), 575, 591, 663, 818, 954, 960, 987, 1017, 1064, 1144; V 410[2]), 515[3]), 728, 889, 910, 1059, 1157, 1329; VI 114, 162, 191, 514, 746, 897. Eandem disiungendi vim p. *aut* habet in interrogationibus sive directis (228; III 7), sive indirectis (VI 87, 1088, 1134).

b) Praeterea de simplici p. *aut* haec singillatim perstringenda esse videntur:

α) si sententia, quae antecedit, condicionalis eademque negativa intellegenda est, p. *aut* interpretamur *sonst, widrigenfalls*. Cuius usus exempla repperi haec II 1043; V 1024.

β) duobus locis pro simplici *aut* particulae correlativae *partim — partim* vel *modo — modo*[4]) exspectantur V 1329; VI 1184 (creber spiritus aut ingens raroque coortus).

---

[1]) Codd. habent:
quinque etiam sex ut fieri simulacra suërint. Marullus coniecit: *quinque etiam sexve . .*, quam coniecturam Munro recepit. Lachm. vero nixus IV 575 *(sex etiam aut septem)* multo verisimilius scripsit *quinque etiam aut sex,* praesertim cum p. *aut* post *etiam* facillime excidere posset.

[2]) Lachm. pro *aut* scripsit *et* praetereaque v. 410 ante v. 409 posuit. Sed nihil mutandum esse comprobavit Munro in adn. ad hunc locum.

[3]) Pro codd. scriptura *aut* Naugerus coniecit *ast* quae particula neque apud Lucretium invenitur neque ad sententiam quadrat. Lachm. pro *aut* scribit *hinc* et v. 514 post v. 516 collocat; eum secutus est Bern. Equidem cum Munrone, Bockemuellero, Briegero in codd. scriptura aquiescendum puto.

[4]) Hunc usum Draeger primus ostendit in libro, qui inscribitur Syntax und Stil des Tacitus § 129.

Aut, quod vocant *aut pendens,* uno loco carminis Lucretiani exstat VI 715. Hoc loco poeta exponit unde fiat ut Nilus aestate Aegyptum riget. Atque sic incipit narrationem:

is (sc. Nilus) *rigat Aegyptum medium per saepe calorem*
aut quia sunt aestate aquilones ostia contra . . .

Tum explicat aquilonibus Nili undas impediri quominus in mare profluant. Hac digressione efficitur ut poeta orationem interruptam non iam eodem modo atque coeperat continuare possit. Quare v. 724 pergit: *est quoque uti possit . . .*

Aut etiam, quod usurpatur ad sententiam magis declarandam et in transitu ad aliam argumentationem, legitur I 1012; III 44, 812 = V 359, 1065; IV 313, 933; V 699; VI 1196, 1200.

c) Duplex *aut* in disiungendis notionibus et sententiis legis III 221, 428, 512, 789, 1064; V 340.

Aut — aut particulas inter se respondentes legimus I 381, 449, 760; II 84, 393, 908; III 805, 819, 869; IV 312 *(aut quia — aut etiam quod),* 717 *(aut quia — aut quod);* V 649, 656; VI 579, 1215. Praeter hos locos tale *aut — aut* exstat VI 105, ubi Oblongus prima manu et Victorianus *nam cadere aut,* Quadratus *nam cadere avi* habet[1]). Itali et impressi, ut docet Lachm., legerunt *nam cadere aut bruto . . .* Lachm. ipse, quod et Lucretius p. *aut* semper ante disiuncta poneret neque liceret scribi *nam aut cadere bruto,* legendum proposuit *nam cadere ab bruto,* quae coniectura Bernaysio probata est. Munro vero suo iure scribendum esse censet *aut,* quod in codd. in *avi* depravatum sit eodem modo atque VI 1196. Munroni suo iure adsensi sunt Bouterwekius[2]) et Goebelius.

Duplex *aut* intellegendum est *partim — partim* V 215 *(aut — aut — que);* VI 1097.

d) Triplici *aut* disiunguntur notiones V 142.

---

[1]) Lachm. falso putat Oblongum prima manu non habuisse *aut,* sed illud *aut* deberi correctori Oblongi cf. Mus. Rhenan. 1860 p. 412 adn., 413.

[2]) Quaestt. Lucr. p. 44.

Inter se respondentes particulas *aut* — *aut* — *aut* legis I 440; IV 1127, 1237; V 352, 680.

Triplex *aut* ita usurpatum ut explicandum sit *partim* — *partim* — *partim* habes V 855 *aut dolus aut virtus aut denique mobilitas* . . .

e) Quater *aut* positum est, sed ita ut tertium *aut* subiunctum sit secundo *aut* VI 1124. Altero loco, IV 932, *aut* quater positum aeque intellegendum est ac triplex *aut* in V 855.

f) *Aut* — *ve* bis apud Lucretium legitur III 614 *(in capite aut pedibus manibusve)*, 889.

Uno loco, III 549, Lachm. coniectura p. *aut* in poetae verba intulit. In codd. enim hic v. sic traditur:

et veluti manus atque oculus naresve seorsum.

Lachm. igitur pro *atque* coniecit *aut*, nisus III 614 *(in capite aut pedibus manibusve)*. Lachmanni mutatio placuit Bernaysio. Munro vero et Brieger codd. scripturam servant quod V 962 similiter legatur *glandes atque arbita vel pira lecta*. Neque dubium esse potest quin servanda sit particula copulativa *atque*. Ut enim paulo supra in v. 547 legitur *velut aures atque oculi sunt*, sic hoc quoque loco p. copulativa usus est poeta quod dicere volebat *et manum et oculum et nares* seorsum secreta a nobis omni sensu carere. Atque loco quidem III 614, quo Lachm. coniecturam suam defendere studet, res longe alia est. Ibi enim p. disiunctiva necessario requiritur, quoniam animi mens consiliumque in uno tantum corporis membro i. e. aut in capite aut in pedibus aut in manibus gigneretur, si modo in ulla harum corporis partium gigni posset. Quod vero Winckelmannus [1]) in eodem versu pro *naresve* legi vult *naresque*, parum rationis habuit illorum locorum, ubi Lucretius pro particula copulativa usurpavit p. *ve* [2]).

---

[1]) Beiträge zur Kritik des Lucrez. Programm des Gymnasiums zu Salzwedel 1857 p. 19.

[2]) Cf. huius commentationis § 2, 3 f.

2. De particula *vel*.

P. *vel* rara in carmine Lucretiano legitur. Cuius rei causa inde petenda est quod Lucretius sequitur antiquiores scriptores, quibus p. vel simplici disiungendi vi praedita in usu non erat, sed utebantur p. aut.[1]) Ac simplex *vel* invenitur II 486; IV 44; V 590, 764. Uno loco, V 383, simplex *vel* legitur, cum requiras alterum *vel*, quod illi respondeat. At reliquit poeta constructionem inde a. v. 386 aliterque perrexit.

Duplex *vel* ita ut sibi respondeant *vel* — *vel*, habes I 435 (*augmine vel grandi vel parvo*).

Vel — *vel* (— *aut*) — *aut* legimus II 435 (*vel cum* — *vel cum* [— *aut*] — *aut* . . *cum*). Hoc loco alteri particulae *vel* prius *aut* subiunctum est. Lachm. et Bern. ultimum *aut* (v. 438) in *atque* mutaverunt. Susemihlius (Philol. XXIV p. 442) aut Lachmannum sequendum aut traditam scripturam ita servandam esse putat ut post verba *per Veneris res* (v. 437) gravius interpungatur. Munro et Brieger codd. scripturam *aut* in v. 438 servant et in v. 439 pro *confundunt* legunt *confunduntque* ex Marulli coniectura. Cum Munrone faciunt Christius[2]) et Pollius[3]). Mihi quoque Munronis de hoc loco sententia probatur. Neque enim vult poeta docere varios et confusos sensus oriri, cum atomi in ipso corpore sese conturbent, ut putat Lachm., sed potius ostendere vult sensum omnino fieri. Rem ita se habere totius loci ratione efficitur.

Vel — *vel* — *vel* (— *vel*) exstat V 960 sqq.: *conciliabat enim vel mutua quamque cupido vel violenta viri vis atque impensa libido vel pretium, glandes atque arbita vel pira lecta.* Hoc loco quartum *vel* non respondet ceteris particulis *vel*, sed est subiunctum tertio *vel*.

---

[1]) Cf. h. c. § 2, 1.

[2]) l. c. p. 16.

[3]) Philologus XXVI p. 316.

3. De particula *ve*.

Particula *ve* invenitur et in sententiis aientibus et ita ut voci neganti subiuncta sit.

a) P. *ve* duae notiones disiunguntur III 885 (*lacerari urive*); IV 489, 1009, 614[1]); V 1222 (*admissum foede dictumve superbe*); VI 114, 813 *vides audisve* (codd. *audire*; Itali correxerunt). Coniectura viri docti uno loco p. *ve* in poetae verba intulerunt. Codd. enim V 983 sic praebent:

spumigeri suis adventu validique leonis.

Cum in hac scriptura veteres editores et interpretes acquiescerent, Lachm. et Bern. pro *validique* coniecerunt *validive*. Atque adnotat Lachm.: „*immo validive leonis; in IV 1016 pantherae morsu saevive leonis.*“ Quo iure Lachm. hoc versu nitatur parum video. In IV 1016 (ed. Bern. 1009) res longe aliter se habet atque in versu, de quo agimus. Illic enim sententia haec est: homines in somnis saepe omnia clamoribus complent quasi mandantur morsu pantherae aut saévi leonis. Hic igitur particula copulativa inepta esset. At in V 983 narratur primos mortales modo spumigeris suibus, modo validis leonibus, neque vero suibus aut leonibus e saxeis tectis expulsos esse, ut apparet ex numero plurali „*hospitibus saevis*“ in v. 985, ut suo iure adnotat Munro. Ceterum Lachm. *validive* coniciens parum sibi constat. Dicit enim vir doctissimus verba *saetigerisque pares subus* in v. 966 referenda esse ad vires fortitudinemque primorum mortalium. Sin autem primi homines suibus pares erant viribus non intellego quomodo suibus e cavernis eici potuerint dummodo aut spumigeri suis aut validi leonis adventu exterrerentur, ut vult Lachm. Servanda est igitur tradita scriptura *validique*.

---

[1]) Codd. *plus opere* Goebelius (Quaestt. p. 30) coniecit *plusve operai*; Lachm., quem sequuntur Bernaysius et Munro, minus probabiliter *plus operaeve*.

b) P. *ve* in sententiis aientibus disiungendis invenitur his locis I 410, 709; II 1099; IV 1131.

c) In sententiis negantibus p. *ve* legitur III 614, 728 (*neque cur* . . ., *quareve*); IV 486. Huc eos quoque locos refero, quibus p. *ve* altera sententia interrogativa alteri adiungitur III 770 (*quidve*), 1083 sqq. (*posteraque in dubiost fortunam quam vehat aetas, quidve ferat nobis casus quive exitus instet*); V 3, 28, 168, 176; VI 1106.

d) *Ve* — *ve* p. p. ita usurpatae ui inter se respondeant, uno loco exstant IV 295 *pilaeve trabive.*

e) P. *ve* subiuncta particulae *aut* legitur III 870 *aut* — *aut* (— *ve*).

f) Satis denique multis locis Lucretius veteres scriptores Romanos imprimis Plautum secutus p. disiunctiva *ve* usus est, ubi desideratur p. copulativa. Cuius usus nonnulla exempla collegit Munro [1]), sed multo plura inveniuntur I 57 (*quove*); III 34 (*quove modo*), 549 (*naresve*), 767 (*quove modo*); IV 28 (*quove modo*), 486 (*oculive*), 632 (*quareve*); V 47 (*quidve*), 71 (*quove modo*), 184 (*quove modo*), 773 (*quove modo*); VI 29 (*quidve*), 386 (*quidve*), 533 (*quareve*), 811 (*quidve*). Certam autem legem in usurpanda p. *ve* pro particula copulativa hunc poetam non secutum esse Munro [2]) comprobavit.

Ab altera parte Lucretius interdum p. copulativa *que* utitur cum requiras p. disiunctivam *ve,* velut I 133 (*somnoque*); II 825 (*varioque*) [3]), 830 (*poeniceusque color*); V 1235 (*dubiaeque*) [4]).

4. De particula *sive* (*seu*).

a) P. *sive* vel *seu* simplex posita, ita ut interpretemur *oder,* legitur I 955 *item quod inane repertumst seu locus ac*

---

1) Cf. ad I 56 p. 345.

2) Cf. ad I 56, 57.

3) Winckelmannus l. c. p. 13 pro *varioque* legendum esse censet *variove.*

4) Bentleius legi vult *dubiaeve.*

spatium. 1019 (*sive adeo potius*); IV 354 (*sive etiam potius*); VI 1001. Simplex *sive* sonans *oder wenn* habes I 861; III 133, 554 (*sive* — *potius*) Plurimis locis ac praecertim eis, quibus legitur *sive potius, sive etiam potius, sive adeo potius* p. *sive* sententia antea prolata quasi corrigitur aut accuratius exprimitur.

b) *Sive* — *sive* legimus I 977; III 251; IV 1224; V 574; VI 1016.

c) *Sive* — *seu* exstat III 519; IV 1045.

d) *Seu* — *seu* legitur VI 31.

e) *Sive* — *sive* — *sive* reperitur V 519.

f) *Seu* — *sive* (*quod*) — *sive* (*quod*) — *sive* invenitur V 1242.

§ 3. De particulis causalibus *nam, enim* ceteris.

1. De particula *nam.* [1])

a) P. *nam* longe plurimis locis adhibita est aut ad causam adferendam aut ad explicationem inducendam. Compluribus locis p. *nam* sine iusta causa ab editoribus aut interpretibus e poetae verbis deleta est. Primum offendit Bockemueller in p. *nam* in I 10 ratus inde a v. 10 inferri novam sententiam. Itaque pro *nam* coniecit *iam.* At meo iudicio nihil omnino mutandum est. Poeta enim almam Venerem, Aeneadum genetricem, hominum divomque voluptatem postquam invocavit et appellavit deam, per quam genus omne animantum conciperetur, inde a v. 6 eandem Venerem veram veris deam praedicat. Addit deinde a v. 10 causas cur Venus merito veris dea appelletur: *nam simulac species patefactast verna diei . . . aëriae primum volucres te, diva, tuumque significant initum* cet.

[1]) P. *nam* apud Lucretium nusquam ante vocalem invenitur.

Similiter iudicant de hoc loco Vahlenus [1]), Stuerenburgius [2]), qui hunc sententiarum ordinem statuit: ,*Tu es, alma Venus, cui venti et nubila cedunt, tu es, quam terra salutat tempore verno. Nam simul atque veris species patefacta est, tu es, cuius initum omnia animalia significant*', G. F Unger [3]). Aliquo denique modo sententia mea, qua p. *nam* servandam esse censeo, confirmatur libri tertii initio similiter comparato cf. III 9 sqq.

Christius deinde (Quaestt. Lucr. p. 13 sq.) sine iusta causa duobus locis in p. *nam* offendit. Putat enim I 556 et III 886 *nam* esse particulam transitionis. Quoniam autem talis particulae *nam* usus a sermone Lucretiano abhorreat, utroque loco pro *nam* scribendum esse *iam*. At de priore loco Christius valde errat quod putat p *nam* aliam argumentationem inferri. Sine dubio enim hoc loco p. *nam* explicatur veram esse sententiam, qua antea poeta dixerat nisi aliqua corpora solidissima essent, quae nulla vi frangi possent, primordia iam ita ad nihilum redacta esse ut nihil ex illis ortum ad iustam perfectionem pervenire posset. Hoc verum esse experientia et vitae usu comprobari; nam cotidie videre nos res citius dissolvi quam refici. Jam ut ad alterum locum transeamus, quo loco Bockemueller quoque p. *nam* in *iam* mutavit, p. *nam* referenda est ad verba *lacerari urive* (v. 885). Vituperat enim poeta eos qui sortem suam deplorent secum reputantes fieri posse ut a feris lacerentur, quasi a feris lacerari acerbius sit quam in rogo comburi. Nihil enim differre utrum aliquis morsu ferarum intereat an igni rogi consumatur.

b) Narratio interrumpitur et parenthesis, quae vocatur, p. *nam* inducitur paucis locis velut IV 59; V 1353. Eodem modo nonnulli viri docti p. *nam* in III 428 explicare student. Equidem vero cum Lachmanno illo loco *iam* legendum esse

---

[1]) Monatsberichte der Berliner Akademie der Wissenschaften 1877 p. 482 sq.

[2]) Acta societatis philol. Lips., tom. II fasc. II p. 375.

[3]) Frühlings Anfang in Fleckeiseni Annal. 141 p. 493.

persuasum habeo. Sed quia sententiae virorum doctorum de hoc loco in contrarias partes abeunt, paulo uberius de hoc loco agam. Vulgo igitur locus sic legebatur:

425 *principio quoniam tenuem constare minutis corporibus docui multoque minoribus esse principiis factam quam liquidus umor aquai aut nebula aut fumus: nam longe mobilitate praestat et a tenui causa icta movetur* . . . Lachm. igitur in v. 428 p. *nam* in *iam* mutavit, quod servata illa p. *nam,* non recte concluderetur argumentum hoc modo: ‚*Anima quoniam, utpote mobilior, minoribus elementis constat quam aqua et nebula et fumus, debet etiam illis facilius dissolvi*‘. Immo, ut dicit Lachm., dicendum fuit sic: ‚*Anima quoniam ex minoribus elementis facta est, facilius movetur ideoque facilius dissolvitur*‘. Lachm. secuti sunt Bernaysius, Bockemueller, Gneissius (l. c. p. 41). Traditam vero scripturam *nam* defendunt Munro, Winckelmannus [1]), Brieger [2]), dubie et cunctanter Pollius [3]), Susemihlius [4]), Vahlenus [5]). Equidem Lachmannum coniectura sua optime poetae manum restituisse persuasum habeo. Etenim vult poeta comprobare animum mortalem esse. Ita autem rem se habere compluribus argumentis efficere studet. Quorum

---

1) l. c. p. 19.

2) Bursian, Jahresber. 39. Bd. p. 184 et in editione sua.

3) De artis vocc. quibusdam Lucr., Dresdae 1866 p. 55: hoc vero iam ingeniosum sane est siquidem ea ratione singulae sententiae hoc optime ordine procedunt: ‚quia primordia animae minora sunt primordiis aquae, nebulae, fumi, etiam mobiliora sunt: atqui aqua, nebula, fumus facile diffluunt, ergo animae primordia etiam ocius et citius diffluere necesse est.‘

4) Philol. XXVII p. 42 sq. Susemihlius ut p. *nam* servaret, post v. 434 lacunam statuere coactus est. Dicit enim (p. 43): *Auffallend aber ist allerdings die Unvollständigkeit des Vergleiches: zu dem ac rarefactum cet. fehlt 434 f. das Gegenbild, und es scheint daher hinter 434 der dasselbe enthaltende Vers ausgefallen zu sein.*‘ Sed in hac re Susemihlius valde errat, cum v.v. 434 et 435 tam arcte inter se cohaereant ut quidquam excidisse prorsus nequeat.

5) Monatsbericht der Königl. Preuss. Akademie der Wissenschaften zu Berlin. August 1877 p. 484 adn.

argumentorum primum sic comparatum est: animus quia multo minoribus principiis factus est quam aqua aut nebula aut fumus illis rebus citius movetur [1]); atqui facile diffluit aqua vase fracto et nebula ac fumus exitu patefacto facile in aera discedunt; ergo animus etiam ocius diffunditur et in corpora prima dissolvitur ubi ex hominis membris recessit.

Apodosis igitur ad verba *principio quoniam . . . docui* incipit a particula *iam* et propositio minor syllogismi a particulis *nunc igitur*. (v. 434.) Hae particulae *nunc igitur* viros, qui *nam* defendunt, prohibere debebant, quominus p. *nam* servandam esse putarent. Coniunctiones enim quae sunt *nunc igitur* ab initio sententiae et versus positae in carmine Lucretiano *atqui* valent. Quare a verbis *nunc igitur quoniam* (v. 434) iteratio protasis, ut falsissime volunt Munro, Winckelmannus alii, incipere omnino non potest. Accedit quod quae leguntur in v. 434 sqq., longe aliam sententiam [2]) praebent ac quam legis in verbis *principio quoniam* cet. Quod autem poeta in v. 428 sq. aliter concludit atque locis a Munrone contra Lachm. allatis (III 203 sqq., 179 sqq., 186) nullam offensionem praebet, quoniam conclusio in v. 428 sq. facta experientia vitaeque usu confirmatur ac comprobatur. Cotidie enim videre possumus res, quae tenues constant minutis corporibus facile moveri eaque de re colligi licet animum minimis principiis factum facillime et citissime moveri. Prorsus vero nihil ad Lachm. coniecturam infringendam valet IV 52 sqq., quem locum Munro et Pollius (de art. vocc. p. 55) similem appellant, cum re vera dissimillimus

---

[1]) Hanc argumentationem Susemihlius (l. c.) appellat circulum vitiosum, quem vocant logici. Vetat igitur vir doctus poetam ex tenuitate et subtilitate animi colligere animum cito moveri i. e. vetat eum rem per se clarissimam proferre.

[2]) Quod adnotat Munro p. 492: *Nunc igitur quoniam: in consequence of the long parenthesis he begins the protasis afresh, instead of simply saying Et quoniam with reference to 425 foll.* libenter me non intellegere fateor. Neque enim verbis *nunc igitur quoniam* protasis denuo inchoatur neque unquam verba *nunc igitur* eandem vim habere possunt ac particula *et*.

sit. Neque enim ibi legitur *nunc igitur* sed verbis *quae quoniam fiunt* (v. 61) apte et vere sententia protasis iteratur, quod loco, de quo agimus, minime fit. Sine ulla igitur dubitatione acquiescendum est in egregia Lachmanni emendatione.

c) Nonnunquam p. *nam* ita usurpatur, ut non tam explicationem aut causam alicuius rei proferri, quam fusius rem tractari vel exemplis explicari appareat velut I 186; II 317, 352; III 85, 381; IV 136.

d) *Nam* p. in interrogatione voci alicui adnexam, ita ut interpretemur *denn*, inveni I 77 = 596 = V 90 = VI 66 (*quanam*); III 7 (*quidnam*); V 1210 (*ecquaenam*).

2) De particula *namque*.

P. *namque*, quae tricies exstat in carmine Lucretiano primumque sententiae locum obtinet, longe plurimis locis ante vocalem collocata est I 330, 336, 469, 820, 959, 1107; II 246, 483, 507, 510, 803, 1015; III 685; IV 76, 920, 1032, 1041, 1078, 1253; V 187, 675, 829, 1454. Praeterea p. *namque* posita est ante consonantes:

c: I 404 (*namque canes*); V 14 (*namque Ceres*)
f: IV 653 (*namque figurarum*).
m: III 189 (*namque movetur*).
p: II 453[1]) (*namque papaveris*); III 196.
s: VI 1281 (*namque suos*).
v: IV 1049 (*namque voluptatem*).

Usus autem est poeta hac particula eodem modo ac particula *nam* et ad causam aut explicationem adferendam velut I 330, 336; II 246, 507; III 685 alibi, et ad rem exemplis fusius illustrandam velut II 453; III 189, 196; V 14.

---

[1]) Lambinus versum 453 *namque papaveris* . . . male inter v. 452 *esse magis, fluvido* . . . et 454 *nec retinentur enim* . . . interpositum ratus delevit eumque secuti sunt Purmannus et Munro. At meo iudicio versus nullam offensionem praebet dummodo cum Goebelio (Obss. p. 45) v. 453 ante 455 ponas.

3. De particula *enim.*

De p. *enim,* quae aeque ac particulae *nam* et *namque* causam et explicationem significat, haec breviter attingenda esse puto:

a) Breviloquentia quaedam in p. *enim* inest, cum in responso ante *enim* vox aiens est subandienda ut III 356 sq. *at dimissa anima corpus caret undique sensu: perdit enim ...* ubi responsum exorditur a voce *perdit.* Ante verba *perdit enim* mente est addendum: *sane* vel *recte quidem.*

b) In interrogationibus p. *enim* aut negativa aut dubitativa sententia efficitur ut I 699 *quo referemus enim?* II 798; III 6 *quid enim . . . aut quidnam . . .?* 354; V 24, 165; VI 655

c) Quod attinet ad collocationem p. *enim* plerumque secundum sententiae locum occupat; satis crebro tertio loco posita est ut I 647 *nil prodesset enim,* 650 *acrior ardor enim,* 680, 704, 767, 974; II 129, 133; III 141, 246, 605, 754, 917 alibi; quartum locum tenet p. *enim* II 1153 *haud, ut opinor, enim;* III 235 *rara quod eius enim,* 558 *nec sine corpore enim,* 788 = V 134 *quid, si posset, enim?,* 874 *non, ut opinor, enim;* V 975 *a parvis quod enim;* quinto loco p. *enim* collocata est I 219 *nulla vi foret usus enim;* V 1146 *acrius ex ira quod enim;* VI 701 *in summo sunt vertice enim.* Si sequimur recentiores editores nusquam in carmine Lucretiano p. *enim* ab initio sententiae posita est. Attamen uno loco, VI 1275, equidem p. *enim* primo loco sententiae collocandam esse censeo. Illum igitur locum Lachmannus, Bernaysius, Munro, Bockemueller, Brieger, sic scribunt:

nec iam religio divom nec numina magni
pendebantur enim: praesens dolor exsuperabat.

Sed valde dubito num sic interpunctionis signum suo loco positum sit. Primum enim offendo in collocatione p. *enim,* quae ita vel nonum sententiae locum tenet. Eiusmodi autem collocationis p. *enim* exemplum apud ullum alium scriptorem

inveniri incredibile est. Accedit quod sententiarum ratio flagitat ut p. *enim* cum verbis *praesens dolor exsuperabat* coniungatur. Praeterquam enim quod asyndeton hoc loco molestum est, Thucydidis verba in II, 52, 3, quem locum Lucretius hic imitatus est, demonstrant p. *enim* post *pendebantur* locum non habere. Legitur enim ibi *ὑπερβιαζομένου γὰρ τοῦ κακοῦ οἱ ἄνθρωποι . . ἐς ὀλιγωρίαν ἐτράποντο* . . Apud Thucydidem igitur verba *ὑπερβιαζομένου τοῦ κακοῦ* causam continent cur homines pietatem erga deos neglexerint. Quare vix dubium esse potest quin Lucretius quoque voluerit suis verbis *praesens dolor exsuperabat* causam inesse cur neque iam religio deorum neque numina magni penderentur. Quae cum ita sint cum Gifanio locum sic legendum esse censeo: *nec iam religio divom nec numina magni pendebantur; enim praesens dolor exsuperabat.* Talis autem p. *enim* collocatio apud antiquos scriptores Romanos, quorum genus dicendi Lucretius imitatus est, non raro invenitur.

Cum particulae *quoque* et *enim* coniunguntur p. *quoque* secundum, p. *enim* tertium locum sententiae occupat I 935 = IV 10 *id quoque enim;* IV 273 *is quoque enim;* VI 113 *id quoque enim,* 116 *fit quoque enim* [1]), 670 *id quoque enim.* Praeter hos locos particulae *quoque* et *enim* iuxta positae

[1]) Kannengiesser (l. c. p. 36 sqq.) v.v. VI 102—115 extra carmen continuum scriptos esse putat. Delet igitur illos versus et v.v. 116 sqq. excipientes facit v.v. 96—101. Quod vero in hac versuum coniunctione p. *enim* in v. 116 inepta erat, pro codd. scriptura (v. 116):

fit quoque enim interdum ut (*ut* praebent codd. deteriores) *non tam concurrere nubes*

scribendum coniecit:

fit quoque ut interdum non tam c. n.

Hanc coniecturam suam pro virili parte defendere studet. Attamen ea prorsus omni probabilitate caret, quod vir doctus falso nititur fundamento. Putat enim Kannengiesser inde a v. 116 poetam ad aliud tonitrus genus transgredi, cum re vera v.v. 116 sqq. explicentur ea, quae in v.v. 108 sqq. leguntur. Secundum tonitrus genus v. 121 demum commemoratur. Servanda est igitur in v. 116 codd. memoria. Ceterum, ut paucis proferam meum de hoc loco iudicium, non solum v.v. 102—115, sed etiam v.v. 116—120 extra continuum carmen scriptos esse iudico.

exstant III 412. Sed suo iure Lachm. hunc versum delevit. Nam si refers eum ad versum qui antecedit omni sententia caret; sin autem refers ad v. 410 supervacaneus et molestus est, neque quidquam proficitur cum verba *id quoque enim* . . ad totam sententiam *dummodo ne — relinquas* referenda esse iudicas.

Uno loco, IV 524, recentes editiones p. *quoque* tertio et p. *enim* quarto loco habent. Quod enim in codd. legitur:

corpoream quoque enim constare fatendumst

Lachm. sic explevit:

corpoream vocem quoque enim constare fatendumst;

Lachmannum secuti sunt omnes editores et interpretes, quos quidem noverim. Mihi autem Lachmanni mutatio non probatur ea de causa quod ceteris omnibus locis Lucretianis, ubi legitur *quoque enim*, p. *enim* tertio loco collocata est, et *quoque* secundo ut paulo supra ostendi. Persuasum igitur habeo versum, de quo agimus, sic legendum esse:

corpoream quoque enim vocem constare fatendumst.

Ne vero putes vocabulum *vocem*, quippe quod efferatur, ante p. *quoque* ponendum esse, Lucretius saepissime p. *quoque* insolito more posuit, ut non ei voci adnexa sit, quae alteri opponatur, sed alii cuipiam, ut exemplis satis multis Holtzius [1]) comprobavit. Ceterum in illa collocatione, quam supra proposui, ubi vocabulum *vocem* statim post caesuram collocatum est, multo efficacius effertur illud *vocem*, quam in collocatione Lachmanniana.

Duobus locis poeta rei metricae legibus coactus insolito more posuit particulas *quoque* et *enim*. Legis enim IV 257 *ventus enim quoque paulatim cum verberat et cum acre fluit frigus* . .; VI 481 *urget enim quoque signiferi super aetheris aestus* . . . Huiusmodi p. p. *quoque* et *enim* collocationis Draeger [2]) unum tantum exemplum e Gellio profert.

---

[1]) l. c. p. 183.

[2]) Histor. Syntax II p. 166 d.

Ab hoc loco non alienum esse puto commemorare Lucretium saepenumero complures sententias, quae sese excipiunt, particulis *nam, namque, enim, etenim* inter se iungere ita ut legatur *nam — nam; nam — enim; enim — enim; nam — nam — enim; enim — enim — enim* similia. Sic legis, ut nonnulla exempla proferam:

nam — nam I 1017—1021; II 1122—1128; VI 247—249.
nam — enim I 217 219; 420—422; 693—696; IV 1261—1264; V 619—623; 1202—1209; VI 364—368.
enim — nam I 790—792; II 646—649; III 917—919; IV 10—11; 916—917.
enim — enim I 647—650; 680—683; III 699—700; 729—731; 858—860; IV 273—274; VI 113—116; 655—658.
nam — etenim IV 1067—1068.
etenim — enim III 798—800.
namque — enim II 453—454.
nam — nam — enim II 83—85—87.
nam — enim — nam I 41—44—47.
nam — enim — enim I 645—647—650.
nam — enim — namque V 7—13—14.
enim — enim — enim III 752—754—755; 874—877—879; V 1146—1150—1154.
enim — enim — nam II 749—751—753.

4. De particula *etenim*.

P. *etenim*, quae apud antiquiores scriptores Romanos rara invenitur, apud Lucretium viginti sex locis exstat, sed ita quidem ut plurimis locis particulam *etenim* antecedat p. *quippe*. Ac tenet p. *etenim:*

a) primum sententiae locum II 525; IV 1068; VI 133, 207; praeterea his locis, ubi legitur *quippe etenim:* I 104; II 547, 792, 1133; III 440, 798; IV 726, 857, 898; V 126,

240, 449, 1060 [1]), 1167; VI 271, 826, 938, 984, 1232 [2]). Praeterea usque ad Lachmanni aetatem in VI 209 vulgo legebatur *quippe etenim* (codd. *quippe etenim*). Lachm. autem coniecit *quin etiam* et adnotat: corrector quadrati et cum Italis exemplaria impressa *Quippe etenim.* sed in proximo membro erat item *etenim,* ut putes nunc causam causae dici. Fugientes litteras codicis archetypi rectius ita colligemus, *Quin etiam solis.* „*nubes cum natura sua semina ignis continent, tum alia a lumine solis concipiunt.*“ Lachmanno adstipulati sunt Bern. et Munro. Bockemueller vero ut servet *quippe etenim* pro pronomine *ipsas* in v. 206 scribit *ictas* praetereaque verba *etenim cum sunt* — *ollis* (v. 207 sq.) in parenthesi ponit. Sed tantum abest ut hae loci sanandi viae ac rationes mihi probentur ut v. v. 209 et 210 delendos esse censeam. Primum enim duo illi versus satis supervacanei sunt et aequo plus argumentationem interrumpunt. Dixit enim poet necesse esse nubes ipsas permulta ignis semina in se habere addiditque causam cur id conici liceat. (v. 207 sq.) Nunc ut statim sequatur sententia, quam in v. 211 sqq. legimus, loci consilium postulat. Neque enim hic quidquam interest utrum nubes praeter ea semina ignis, quae natura sua habent, alia e solis radiis ardoreque eorum concipiant necne. Nam id solum poeta efficere studet ea quoque de causa fulgur fieri quod, ubi ventus nubes unum in locum cogens contruserit compresseritque, nubes semina ignea, quae ipsae contineant, profundant. Neque huic sententiae meae obstat pronomen *ipsas* in v. 206. Verba enim *nubes ipsas* in v. 206 minime opposita sunt verbis quae in v. 209 sq. leguntur, ut putant editores, sed ipsarum nubium ignis (v. 203—206) oppositus est igni e nubium concursu atque conflictu excusso (v. 160 sqq.) et igni venti, qui in nubes se insinuaverit ibique fervidus factus sit (v. 172 sqq.). — Accedit

---

[1]) Quadratus, Oblongus, Victorianus hoc loco habent *quippe enim,* ut docet E. Goebelius (Mus. Rhenan. 1860 p. 414).

[2]) De huius loci explicatione conferantur quae Munro adnotavit.

quod illi v.v. multa continent, quae probabilem in modum explicari nequeunt. Quomodo enim stat illud, nubes solis de lumine multa ignis semina concipere? Non de lumine, sed *ex solis radiis ardoreque eorum*, ut est in v. 273, ignem concipiunt. Quidve sibi vult illud: *ut merito rubeant?* An hac sola de causa nubes merito rubent, quod de solis lumine ardoreque concipiunt ignea semina, neque vero quod natura sua permulta in se habent ignis semina? Quid denique hic sibi volunt verba: (*nubes*) *ignes profundunt?* An verum esse putas nubes quod solis e radiis multa concipiunt ignis semina, ideo ignem profundere? Ideo nubium color flammeus et splendidus esse potest, neque vero ideo nubes ignem profundunt. Tum demum profundunt ignem cum ventus nubes unum in locum cogens contrusit atque compressit. Itaque perverse verbis *ignesque profundant* in v. 210 iam praemittitur quod in proximis demum versibus (cf. 212 sq.) demonstratur et explicatur; quod nullo modo fieri aut ferri posse arbitror. Denique similes illi versuum fines *necessust* (Victorianus: *necessest*) in v. 206 et *necessest* in v. 209 similiterque *profundant* in v. 210 et *profundunt* in v. 212 illi loco minime decori sunt; quamquam huic rei non magnum pondus tribuo. Illa vero, quae modo exposui, me movent ut v.v. 209 et 210 spurios esse credam. Nequaquam autem mea de hoc loco sententia infringitur v.v. 271 sqq. Quod enim ibi legitur: *quippe etenim supra docui permulta vaporis semina habere cavas nubes* non respicit ad v. 206, ut falso putant viri docti, sed potius ad v. 175 sqq. Neque enim in v. 271 sqq. de nubibus in universum sermo est ut in v. 206, sed, ut in v. 175 sqq., de cavis nubibus, in quibus ventus mobilitate sua fervidus factus circumvolvitur (175 sq., 198 sqq.). Neque magis proxima verba: *et multa necessest concipere ex solis radiis ardoreque eorum* (v. 272 sq.), quae verba hic aptissime addita sunt ad comprobandam sententiam versus 269, referenda sunt ad v. 206 sqq. Orti autem sunt illi v.v. 209 et 210 inde quod, ut suspicor, lector quidam falso ratus verba *et multa necessest* —

ardoreque eorum (v. 272 sq.) pendere e verbis *quippe etenim supra docui* (v. 271) post v.v. 206—208, in quibus narratur nubes ipsas permulta semina ignea continere necesse esse, desideravit sententiam, in qua explicaretur nubes e solis radiis ardoreque eorum multa semina ignea concipere; quare idem nullo fere iudicio usus e v.v. 2 2 sq. composuit v.v. 209 et 210.

Iam ut eo redeamus unde deflexímus, cave facias cum Holtzio[1]), qui putat iis locis, ubi *quippe etenim* legitur, has particulas ad unam eandemque sententiam pertinere. Nam *quippe* p. usurpata est pro plena sententia ac valet hoc fere: *minime mirum id quidem*, vel, *nimirum*, quod saepissime legitur in carmine Lucretiano, et a p. *etenim* nova incipit sententia. Hoc quod dixi recte se habere ex eo elucet quod, cum particulam *quippe* sequitur p. *enim*, quae a Lucretio non ab initio sententiae posita est uno loco (VI 1275) excepto, p. *enim* non statim post *quippe* ponitur, sed interponitur vocabulum: VI 617 (*quippe videmus enim*), 1018 (*quippe agitantur enim*).

b) p. *etenim* tenet secundum locum, cuius collocationis exempla ante Horatium non inveniri Draeger[2]) falso putat[3]), VI 912 (*quinque etenim*). Praeterea nunc duobus locis p. *etenim* secundo loco legitur III 288 *est etenim* . . . e coniectura Fabri, et V 630 *flaccidiore etenim* . . e Lachmanni coniectura. Codd. utroque loco praebent *etiam*.

5. De particula *quippe*.

Particulam causalem *quippe* in carmine Lucretiano repperi:

a) simpliciter positam I 151, 167, 775; II 871, 983; IV 528, 662, 769, 922, 984; V 896; VI 546, 854, 910.

b) cum participio coniunctam in appositione explicativa III 190.

---

[1]) l. c. p. 190, 12b.

[2]) l. c. p. 171.

[3]) E. Mureti coniectura *etenim* postpositum iam apud Lucilium frgm. XXX 54 (ed. L. Mueller) legitur.

c) *quippe cum* legitur VI 1178.

d) *quippe* cum pronomine relativo iunctum habes I 242; III 1060.

e) de coniunctione *quippe ubi* cf. h. c. § 6, 2, 2.

f) de *quippe etenim* cf. h. c. § 3, 4.

§ 4. De particulis conclusivis.

1. De particula *ergo*.

De p. *ergo* haec commemoranda sunt:

a) p. *ergo* significat causam vel originem alicuius rei velut I 72; IV 558, 605 alibi.

b) p. *ergo* rationis conclusio infertur satis multis locis velut I 364, 538; II 495, 879; III 142, 537, 754, 967; IV 157, 804, 883 (codd. *ego*); V 1085, 1428; VI 180. Uno loco, III 700, p. *ergo* a viris doctis in *enim* mutata est. Codd. ibi habent *dispertitur ergo*. Brixiensis igitur editio *dispertitur enim* habet cum Itali et Marullus scriberent *dispertita ergo*. Lachm., cum recte perspiceret hoc loco de anima nondum sermonem esse legendum coniecit *dispertitus enim*, ita ut participium *dispertitus* referendum sit ad vocem cibi in v. 601. Sed haec coniectura, quamquam viris doctis[1]) admodum placuit, mihi non probatur ideo quod Lucretius comparationes ita inferre solet ut statim a particulis *ut, velut, quod genus* similibus comparatio incipiat neque vero pars comparationis particulae comparativae praemittatur. Quare talis comparatio qualis haec est: *dispertitus enim . . . ut cibus . . . disperit . . ., sic . . .* a Lucretii dicendi genere aliena est. Accedit quod verbis *dispertitus enim* — *omnis* (v. 700)

[1]) Susemihlius (Philol. XXVII p. 53) contra Lachmannum dicit; ipse legi vult *et dispertitus per caulas . . .*, qua coniectura versus minime sanatur, quod in hac quoque coniectura pars comparationis particulae comparativae praemittitur.

facile carere possumus, quoniam eadem fere sententia expressa exstat in v. 701. Arbitror igitur v. 701 spurium esse. Quod vero deleto v. 700 nullo orationis vinculo v. 702 cum versibus qui antecedunt, coniunctus est, offensioni non est cf. IV 1089.

Eandem conclusionis vim p. *ergo* habet in syllogismi, quem vocant, membro tertio velut I 445, 964; III 216, 519, 665; hoc ultimo loco ante p. *ergo* mente addendum est *hoc autem absurdum est*, vel tale quid.

c) *Quid ergo?* ita usurpatum ut statim alia addatur interrogatio frustra apud Lucretium quaeres. Semel legitur simplex *quid ergo?* VI 1078 *cetera iam quam multa licet reperire! quid ergo?* In hac elocutione breviloquentia quaedam inest et *quid ergo?* dictum est pro *quid ergo omnia enumerari opus est?*

d) Duobus locis p. *ergo* in apodosi posita est post coniunctionem *quoniam* I 526; V 260 *et quoniam . . esse videtur omniparens eadem rerum commune sepulcrum, ergo terra tibi libatur . . .* [1]) Praeter hos locos in Munronis editione in II 495 post *quoniam* p. *ergo* in apodosi legitur. Munro enim pro codd. scriptura in v. 483

namque in eadem una cuiusvis in brevitate

scribit

nam quoniam eadem una cuiusvis in brevitate

et a v. 495 apodosin a p. *ergo* exordientem facit. Haec Munronis coniectura vel ideo mihi displicet, quod apodosis a protasi separatur parenthesi decem versuum, quo fit ut totius sententiae cohaerentia obscuretur, praeterquam quod in ipsa parenthesi viri docti interpungendi ratio minus apta mihi videtur. Neque magis quam Munronis coniectura mihi placet ulla ex multis illis mutationibus, quas hic versus inde a Lachmanno passus est, quia nulla coniecturarum removetur offensio quae

---

[1]) Bockemueller pro *ergo* male coniecit *edens*, quod in tam parvo spatio, quod intercedat inter particulas *ergo* et *quoniam*, p. *ergo* locum non haberet; sed hoc fit etiam in altero exemplo supra allato.

versatur in collocatione pronominum *eadem una* et in asyndeto illorum pronominum.

e) Memorabiles sunt nonnulli loci, ubi causa, ad quam refertur p. *ergo*, postea demum additur, ipsa autem p. *ergo* praemittitur. Attamen omnibus illis locis causa in eis, quae p. *ergo* antecedunt, continetur et particulis *quoniam, quandoquidem* ceteris denuo causa cur aliquid ita sit vel fiat, additur ut magis confirmetur conclusionem recte se habere. Sic legimus

ergo — *quoniam* II 519; III 175; IV 538.
ergo — *quandoquidem* III 455.
ergo — *quatenus* III 216.
ergo — *quia* V 1428.

f) Collocatur p. *ergo* plerumque ab initio orationis velut I 72, 364, 445, 538; II 20, 495, 519, 624, 879; III 175, 216, 455, 519, 665; IV 82, 157, 538, 558, 605, 883 alibi, rarius tenet secundum locum I 526, 964; III 184, 537, 699, 754; IV 804; VI 1078; tertio loco posita est III 967 *nec minus ergo;* semel adeo quintum locum occupat VI 1243 *optimus hoc leti genus ergo quisque subibat.*

2. De particula *igitur*

P. *igitur*, qua prae ceteris particulis conclusivis usus est, Lucretius usurpavit.

a) in transitu ad rem propositam tractandam ut I 146, 958; IV 42.

b) in sententiis simpliciter inter se vinciendis saepissime.

c) in rebus comparandis cum e rebus conlatis aequalis condicio ad aliam rem refertur vel e rebus propositis concluditur consequens esse alterum, velut I 290; II 203, 1144; IV 518, 872, 1044; V 302, 467, 495, 546, 831; VI 262, 317, 665, 895.

d) in apodosi I 419 *sed nunc ut repetam coeptum pertexere dictis, omnis . . . igitur . . . natura . . . constat . . .;* IV 197 sqq. *praeterea si, quae penitus corpuscula rerum ex altoque foras mittuntur, . . . haec puncto cernuntur lapsa diei per totum caeli spatium diffundere sese, . . . quid quae*

sunt igitur iam prima fronte parata . . .? Sic recte scribunt Munro et Brieger. Haec enim est loci sententia: praeterea si ea, quae mediis e rebus et ex alto in terram mittuntur, tam celeriter et tam longe diffunduntur, quid, nonne ea, quae a rerum superficie mittuntur i. e. rerum simulacra, multo citius multoque longius diffundi necesse est praesertim cum, quia a snperficie mittuntur, nulla res celeritatem eorum retardare queat. Continent igitur v. v. 197—200 protasin, v. v. 201 sqq. apodosin. Ceterum valde mihi displicet editorum et interpretum orationis distinguendae ratio. Lachm. igitur Bern., Brieger interrogationis signum ponunt post *parata* (v. 201 ed. Bern.), Munro vero et Bockemueller post *ferantur* (v. 203). At in Lachm. et Bern. interpunctione v. v. 201 et 202 (ed. Bern.), qui arctissime cohaerent inter se, foede dirumpuntur, in Munronis vero et Bockemuelleri distinguendi ratione verba *quod superest* vix ferenda sunt neque modi varietas *iaciuntur* — *moratur* (v. 202) — *ferantur* (v. 203) explicatur. Optime poetae manus restituitur cum post *moratur* (v. 202) interrogationis signum ponitur et in v. 204 pro *quone* legitur *nonne*[1]). Praeterea p. *igitur* in apodosi est posita IV 511 sqq. *denique ut in fabrica . . . omnia mendose fieri . . necesse est . . ., sic igitur . . .* Eodem modo p. *igitur* in apodosi collocatam puto II 677 sqq. *cetera consimili mentis ratione peragrans invenies igitur . . .,* ubi verba *cetera* — *peragrans* ita intellegenda sunt: si cetera . . . peragraveris.

e) Ut p. *ergo*, ita et p. *igitur* causam, ex qua aliquid colligitur, antecedere videtur ut I 338 *haud igitur quicquam procedere posset, principium quoniam cedendi nulla daret res;* IV 563; V 279 (*igitur* — *quoniam*); II 1139; V 144 (*igitur* — *quandoquidem*); I 205, 262 (*igitur* — *quando*).

Amat Lucretius alteri conclusioni statim addere alteram velut I 290—295 (*igitur* — *quare*); II 495—496 (*ergo* —

[1]) *Nonne* veram scripturam esse Langenus docet (Philol. XXXIV p. 31 sq.).

quare); III 128—130 (*igitur* — *quapropter*); III 665—666 (*ergo* — *quapropter*); IV 82—85 (*ergo* — *igitur*); VI 333—334 (*igitur* — *hanc ob rem*); II 238—240—243 (*quapropter* — *igitur* — *quare etiam atque etiam*).

De p. *igitur* denique collocatione haec sunt commemoranda: uno loco III 199 (*igitur parvissima corpora pro quam et levissima sunt, ita mobilitate fruuntur*) p. *igitur* primum sententiae locum obtinet; secundum locum occupat satis multis locis; tertium locum I 328, 907; II 212, 277, 917; III 662; IV 212, 563, 650; V 273; VI 596, 1051; quartum locum I 419, 958; II 891; III 241, 907; IV 201, 509, 685; VI 843; quintum locum semel III 237 (*iam triplex animi est igitur natura reperta*). II 677 sq. adeo septimum locum tenet; sed si sententiam respicis particula secundo apodosis loco posita est.

3. De particula *itaque*.

Particula *itaque*, quae decies apud Lucretium legitur, musquam ab initio sententiae posita est, sed aut secundo loco (II 661; III 106, 627; IV 730; V 1139, 1390; VI 690 [codd. *itque*]) aut tertio (IV 975) aut quarto (IV 703) aut denique quinto (II 569). Usus particulae *itaque*, quae satis raro apud hunc poetam legitur, memorabile nihil praebet nisi quod II 661 post sexaginta versuum digressionem, quae continet laudem et pompam magnae matris Cybelae, p. *itaque* disputatio interrupta redintegratur atque ita quidem ut poeta inde a v. 661 exemplis comprobare [1]) incipiat re vera nullam esse rem, quae ex uno eodemque principiorum genere constet. Male igitur Munro et eum secutus Brieger v. v. 652—654 ante v. 661 posuerunt ut p. *itaque* haberet quo referretur [2]). Similiter in III 106 p. *itaque* exempla inducuntur, quibus comprobetur animum esse partem hominis a corpore distinctam.

[1]) Talis p. *itaque* usus exempla nonnulla adfert Draeger l. c. p. 184.

[2]) Kannengiesser (diss. p. 20 sq.) ostendit Munronis versuum transpositionem mnltis de causis ferendam non esse.

Sic Munro quoque de hoc loco sentire videtur. Plane vero mihi improbatur Jesseni [1]) sententia de hoc loco. Dicit igitur haec: Ac primum illud itaque v. 106 non habet, quo referatur. Saepius quidem apud Latinos et maxime apud Lucretium protasis quaedam subaudienda est, ad quam coniunctio referatur; hic autem illud itaque omnino aptum non est, neque si cum Munroio: to prove what I say, subaudierimus, quidquam proficiemus. Exspectamus enim sententiarum nexum fere hunc esse: errare mihi videntur saepe enim [2]) fit, ut corpus externum aegrotet, quum tamen etc. Putat igitur vir doctus illum nexum optime restitui si v. 106 *saepe itaque* . . . cum v. 97 coniungatur et si ante et post v.v. 98—106, quos ab hoc loco alienos esse putat, lacuna statuatur. Sed improbandam esse hanc Jesseni sententiam facile intellegitur. Primum enim si cum viro docto hunc sententiarum ordinem rationemque statueremus: errare mihi videntur. saepe enim fit ut . . . nemo esset quin particulam *enim* referret ad verba *errare mihi videntur*. Verbis autem *saepe itaque* cet. nullo modo sententiam eorum, qui dicant animum esse habitum quendam vitalem corporis vel harmoniam, Lucretium refellere studere elucet e v.v. 117 sqq. Ibi demum falsam illorum opinionem de natura animi refutare suscipit. Accedit autem quod deletis v.v. 98—106 vix intellegi posset quid sibi vellent v.v. 117 sqq., quibus refelluntur ea, quae in v.v. 98—106 leguntur.

4. De ceteris particulis conclusivis.

Aliis vocibus, quibus inest vis conclusiva, Lucretius usus est his:

a) *inde* IV 941 *fit uti pars inde animai eiciatur* . . = inde fit ut pars animai eiciatur; V 1149 *inde metus maculat poenarum praemia vitae.* Nusquam alibi in carmine Lucretiano

---

[1]) Quaestiones Lucretianae, dissert. inaug. Gottingae 1868 p. 26 sq.

[2]) Similiter iudicat Susemihlius (Philol. XXVII p. 31 adn.) dicens: ‚Ist aber 106 itaque richtig, wo man doch eine begründende Konjunktion erwartet?

neque eis locis, quos Holtzius (l. c. p. 6) adfert, p. *inde* vim vere conclusivam habet. Relativum *unde* significans *qua de causa* legis III 68 (*unde homines . . sanguine civili rem conflant . .*), 467; V 1163.

b) *hinc;* multis locis vix diiudicare possis utrum significet causam alicuius rei necne. Certo vis vere conclusiva in p. *hinc* inest III 882 (*hinc indignatur se mortalem esse creatum . .*); V 1403 (*et vigilantibus hinc aderant solacia somni*).

c) *hoc;* exemplis ab Holtzio (l. c. p. 22) allatis IV 551, 620, 656, 1085 adde haec: IV 358, 798; V 804; VI 274, 864. Omnibus his locis, excepto IV 1085, legitur *hoc ubi.*

d) *eo*, atque ita quidem ut sit coniunctum cum p. *que* [1]) IV 286; VI 1036.

e) *proinde* tredecim locis. Atque coniuncta est p. *proinde:*

α) cum imperativo II 755 (*proinde cave*); IV 384 (*proinde noli*); V 1127 (*proinde sine*); praeterea si sententiam, non formam, respicis, p. *proinde* imperativam ut ita dicam sententiam habet I 672 (*proinde aliquid superare necesse est*); III 868 (*proinde . . scire licet . .*), 090 (*proinde licet . . condere . ., tamen nilo minus . .*).

β) cum indicativo IV, 497, 801; V 570, 1039; VI, 601, 620, 1117.

f) *ideo,* legitur

α) simpliciter positum, cuius usus exempla apud bonae latinitatis scriptores inveniri negat Draeger [2]), IV 590 (*ideo iactant miracula dictis*); V 457; VI 270 (*ideo passim fremitus et fulgura fiunt*).

β) *ideoque* IV 488 (*ideoque necesse est*), 493, 676; V 624; VI 699.

γ) *atque ideo* non solum in initio versus, sed etiam in medio versu II 386, 395; III 533; VI 328 (*exprimitur vis atque ideo volat impete miro*) [3]).

---

[1]) Draeger (l. c. p. 186) falso putat *eoque* non inveniri ante Horatium.

[2]) l. c. p. 186.

[3]) *Ideo quod* apud Lucretium octies, *ideo quia* novies repperi.

g) *propterea* II 640, 835; IV 248, 375, 864; V 427, 539, 633, 697, 702, 1444; VI 374, 876. Ex Lachmanni coniectura nunc in editionibus Lachmanniana et Bernaysiana II 963 pro codd. scriptura *praeterea* legitur *propterea*. At in aperto est servandam esse p. *praeterea*, quam suo iure defendunt Munro, Bockemueller, Goebelius (Quaestt. p. 15), Winckelmannus (l. c. p. 15), Susemihlius (Philol. XXV p. 86 sq.), Brieger (Philol. XXV p. 88). Nam tantum abest ut poeta in v. 963 conclusionem faciat ut aliud proferat argumentum quo probet primordia omni sensu carere. Ea quoque enim de causa principia sensum nullum habere putandum esse quod neque voluptate neque dolore afficiantur.

Proptereaque exstat II 406; IV 932; V 117, 157 [1]).

h) *eapropter* uno loco legitur IV 311.

i) *quapropter* particulam vicies sexies apud Lucretium inveni. Ac tenet p. fere primum sententiae locum praeter II 238 et 1040, ubi secundo loco posita est, et IV 235, ubi quartum locum occupat. Legitur autem p. *quapropter* I 127, 398, 557, 635 = 705 [2]), 794; II 37, 155, 238, 297, 313, 442, 998, 1044 (*desine quapropter*), 1084; III 130 (*quapropter* . .

---

[1]) *Propterea quod* octies in carmine Lucretiano legitur, cum *propterea quia* vicies quater exstet. In hac quoque re, quod p. *quia* saepius utitur quam p. *quod* Lucretius veteres secutus est scriptores, apud quos p. *quod* raro vim causalem habet.

[2]) Gneissius (l. p. 29 sqq.) v. v. 705 et 706 suo loco positos esse ibique optime quadrare recte iudicat; priore autem loco, I 635 sq., versus a poeta scriptos esse negat. Quare v. v. 635 et 636 editori tribuit qui eo consilio eos inseruerit ut aptam restitueret sententiarum cohaerentiam. Putat enim vir doctus particulam *quapropter* (in v. 635), quae ceteris locis carminis Lucretiani meram concludendi vim habeat, hoc uno loco soli coniunctioni inservire. Bene contra hanc Gneissii sententiam dixerunt Tohtius (Annal. phil. 119 p. 545 sq.), Brieger (Bursian, Jahresber. 18 p. 202 sq.), Lohmannus (l. c. p. 14 sq.), qui ostendunt v. 635 quoque *quapropter* conclusivam particulam esse eamque ob rem servandam esse, quamquam Tohtius et Lohmannus eo inclinant ut putent v. v. 635—704 postea a poeta insertos esse.

redde . .), 666, 675, 709; IV 152, 190, 235 (*esse in imaginibus quapropter* . . .), 608; V 243, 580; VI 996.

Gneissius (l. c. p. 30 adn.) II 998 spurium esse putat. Dicit enim aether cum pater a poeta appelletur, ridiculam esse illam parenthesim, qua suo iure matris nomen terram adeptam esse doceamur, misereque eam disscindere magnificos illos v.v. II 991 sqq.; accedere quod in V 818 sqq., ubi eadem proferatur sententia, eam magis insignem notionem habere; ibi enim quod translatis fere verbis dici soleat, terram matrem esse humani generis i. e. nutricem, id ad verbum recte dici, quoniam ipsa creaverit genus humanum. Contra in II 998 de eo sermonem non fieri, ipsam terram primum hominum genus genuisse, sed pascere homines, quia pariat fruges, quibus illi alantur. Huic Gneissii ratiocinationi adversatur Lohmannus (l. c. p. 42 sq.), adsentitur Tohtius (Fleckeiseni Annal. 119 p. 546 adn.). At mihi minime probatur Gneissii sententia. Primum enim expresse dicit poeta: unde alma liquentis umoris guttas mater cum terra recepit, feta parit nitidas fruges . . . et genus humanum, parit omnia saecla ferarum . . . Fingitur igitur aether pater rerum, per quem terra, eo quod fertiles ab eo recepit guttas umoris, gravida facta nitidas fruges arbustaque laeta, genus humanum, omnia saecla ferarum pariat. In aperto igitur est poetam hic explicare terram gignere homines. Quod vero attinet ad verba *pabula cum praebet* . . . ea non prohibent quominus terrae matris nomen tribuamus. Sententia enim loci haec est: terra nitidas fruges arbustaque laeta semper ex suo ipsius utero directe, ut ita dicam, procreat, genus vero humanum et saecla ferarum indirecte i. e. eo quod pabula eis praebet, quibus corpora pascunt, vitam ducunt, prolem propagant cf. II 594 sqq. Quare Hoerschelmanni [1]) coniectura in v. 996 pro *cum* scribentis *tum* prorsus falsa est. Ceterum Gneissius inde in illum errorem incidisse videtur ut putaret v. 998 spurium esse, quod non satis perspexit in V 818 sqq.

[1]) Acta soc. phil. Lips. V p. 41.

sermonem esse quomodo nova tellus (cf. 787, 797, 815) animalia crearit, in II 998 vero quomodo terra iam adulta hominum genus et feras pariat.

k) *quare;* haec particula notione conclusiva praedita exstat viginti octo locis Lucretianis I 78 (*quare religio pedibus subiecta vicissim opteritur* . . .); 295 (*quare etiam atque etiam* . .[1]), 760, 845, 1049 (*quare etiam atque etiam*); II 243, 377, 496, 598, 1064; III 228, 462, 470, 574, 689, 756, 796; IV 214, 288, 699, 853, 936, 1200; V 153, 332, 376, 818, 904.

l) *quas ob res* (= quam ob rem) I 155.

m) *hanc ob rem* III 257 (*hanc ob rem vitam retinere valemus*); VI 334, 873.

B.

De particulis in sententiis subordinatis.

§ 5. De particulis, quae leguntur in sententiis substantivorum loco positis.

1. De particula *quod.*

Haec habeo quae de p. *quod* usu commemorem:

a) P. *quod* pronomen demonstrativum aut substantivum antecedentis sententiae primariae explicatur velut I 1002 (*est igitur natura loci spatiumque profundi quod* . . .); III 208

[1]) Locutionem *quare etiam atque etiam,* quae tredecim locis occurrit (I 295, 1049; II 243, 377, 1064; III 228, 574, 689; IV 214, 288, 853, 1200; V 818) Lucretius usurpat cum aut totius argumentationis summam comprehendit aut post exempla vel obiectiones, ut docet Kannengiesser (Philol. XLIII p. 540 sq.) conclusionem iam antea factam repetit.

sqq. (*haec quoque res . . quod . .*), 915; IV 209, 855 (*illud . . quod . .*), 896; V 248, 286, 665, 980; VI 1022, 1054, 1228.

b) Locutio *quid est quod?* cum indicativo coniuncta pro usitatiore *quid est cur?* uno loco exstat III 931 (*quid tibi tanto operest, mortalis, quod nimis aegris luctibus indulges?*).

c) Pro vulgari *accedit quod*, quod poeta prorsus vitavit, usus est locutione *adde quod* I 847 (*adde quod imbecilla nimis primordia fingit*); III 827 (*adde furorem . . . adde quod . .*); IV 1113 sq. (*adde quod absumunt viris pereuntque labore, adde quod . .*); VI 330[1]), aut *accedit ut*[2]).

d) *Quod* pro eo quod est *quod attinet ad* repperi II 532 (*nam quod rara vides magis esse animalia quaedam . . . at regione locoque alio multa licet genere esse in eo . .*); III 41 (*nam quod . .*); V 913 (*nam quod . .*).

e) *Praeterquam quod* uno loco exstat III 822.

f) *Nisi quod* cum notione exceptionis sonans *nur dass* semel tantum legitur IV 754 (*nisi quod mage tenvia cernit*). Ceteris locis ubi *nisi quod* reperitur III 480; IV 756; V 349 *quod* particula causalis est quamquam Reichenhartus[3]) omnibus illis locis, Brieger[4]) IV 754 et 756 illas voces vim excipiendi habere putant.

2. De particulis ut et ne.

Quod particularum *ut* et *ne* usus Lucretianus nihil memorabile praebet, satis habeo verba et locutiones enumerare, post quae illae particulae apud Lucretium inveniantur. Sunt autem

---

[1]) In VI 335 Lachm. pro codd. scriptura *deinde quod* coniecit *adde quod*. Sed hanc coniecturam nulli editorum aut interpretum probavit; neque id mirum est. Exponit enim poeta inde a v. 323 causas mobilitatis fulminis hoc modo: *mobilitas autem fit fulminis . . quod . ., adde quod . ., deinde quod . . denique quod . . .* Cur in hac causarum enumeratione *deinde quod* non quadret nescio.

[2]) Cf. h. c. § 5,2.

[3]) Die subordinierenden causalen Conjunctionen bei Lucretius, Progr. zum Jahresber. der Lateinschule zu Frankenthal 1880/81 p. 14.

[4]) Bursian, Jahresb. 27 p. 161.

a) verba impersonalia:

huc accedit ut I 192, 215, 565; II 398, 1077; III 459; VI 959. Duobus locis in codd. post locutionem *huc accedit* p. *ut* deest. Priore igitur loco, I 753, codd. haec praebent:

huc accidit item, quoniam primordia rerum
mollia constituunt, quae nos nativa videmus
esse et mortali cum corpore, funditus utqui
debeat ad nilum iam rerum summa reverti . .

Corrector Oblongi *accidit* in *accedit* correxit. Lachm. deinde pro *item* coniecit *utei* et in v. 755 *usque* pro *utqui*. Lachmanni mutationes plurimis viris doctis probatae sunt ut Spengelio [1]) Pollio [2]), Bernaysio, nisi quod hic vir doctus pro *utei* legit *uti*. Munro denique et Brieger scribunt:

huc accedit item, quoniam . . . .
. . . .
. . . . *funditus utqui*
debeat sqq.

Equidem puto post vocem *item* errore quodam excidisse p. *ut*. Observavi enim satis multis locis carminis Lucretiani in codd. *ut* particulam deesse ac praesertim post litteram m. Sic excidit p. *ut* in utroque codice, Oblongo et Quadrato, III 347 post *discidium;* IV 416 post *caelum;* VI 116 post *interdum,* 231 post *item;* similiter IV 301 *aut* excidit post *etiam;* praeterea deest *ut* II 1059; III 254, 458. Poterat autem p. *ut* post *m* facillime excidere quod litterae *m* et *μι* simillima forma sunt. Sic igitur in I 753 quoque post *item* particulam *ut* excidisse iudico. Quoniam autem p. *ut* deerat, librarius in v. 755 vocem *usque* in *utque* mutavit, unde postea exortum est illud *utqui* eodem modo atque in VI 1005. Legendum est igitur:

---

1) Gelehrter Anzeiger der königl. bayr. Akademie der Wissenschaften 1851 p. 788.

2) De art. vocc. quibusd. Lucr., Dresdae 1866 p. 20 sq. adn.

huc accedit item ut, quoniam . . . . . .
. . . .
. . . . *funditus usque*
debeat . . .

Alter locus, quo in codd. post locutionem *huc accedit* p. *ut* deest, VI 1020, sic exstat in codd.:

huc accedit item, quare queat id magis esse,
haec quoque res adiumento motuque iuvatur,
quod, simul a fronte est anelli rarior aër
factus . . . .

Lachm. hoc quoque loco, ut I 753, particulam *item* in *utei* praetereaque *iuvatur* in *iuvetur* mutavit; quem secutus est Bern. Munro et Brieger codd. scripturam ita servant ut verba *quare* — *iuvatur* parenthesim esse statuant. Neque vero hac interpungendi ratione locum sanatum esse puto. Meo iudicio hoc quoque loco post *item* errore excidit *ut* eoque factum est ut coniunctivus *iuvetur*, quod non iam erat unde penderet, in *iuvatur* mutaretur. Sic igitur locum legendum propono:

huc accedit item ut, quare . . . .
. . . . *iuvetur*
quod . . .

Sed ut ad enumerationem eorum verborum impersonalium, quae p. *ut* secum habeant, redeamus, p. *ut* praeterea legitur post:

convenit, es passt, III 680, 683.
in eo est IV 1099.
procul est IV 853.
refert IV 1249.
sequitur, es folgt daraus, dass II 492 sq.

linquitur, sonans *es bleibt nur der Schluss übrig, dass* II 914 (*linquitur ut totis animantibus adsimulentur*); V 792 sq. (*linquitur ut merito maternum nomen adepta terra sit, e terra quoniam sunt cuncta creata*). Gneissius (l. c. p. 31) v. v. 792 et 793 spurios esse iudicat ratus eos fluxisse ex eodem fonte atque II 998, quem versum sine iusta

causa ab eodem viro docto temptatum esse supra ostendi. (cf. h. c. § 4, 4, i). Miror Tohtium[1]) in his versibus delendis Gneissio adsentiri. Contra Gneissium dicit Lohmannus (l. c. p. 44 sq.) cui plane adsentior.

b) verba personalia:

adducere V 1339 sqq. (*sed vix adducor ut . . futurum non quierint animo praesentire atque videre)*.

cavere ne IV 1137[2]).

cogere I 976; III 197; V 484 sqq., 1048 sq.; VI 127[3]).

concedere II 658[4]).

curare III 127; V 1013; IV 819 (*ne*); VI 231. Hoc ultimo loco codd. praebent:

curat item vasis integris vina repente
diffugiant, quia . . .

Lambinus post *item* inseruit *ut* idemque fecit Bernaysius. Lachm. autem particulam *item* in *utei* mutavit ut in I 753 et VI 1020; qua coniectura asyndeton satis molestum infertur in poetae verba. Munro denique male servat codd. scripturam. Nam simplex coniunctivus post verbum curandi a Lucreti dicendi genere abhorret (cf. III 127; V 1013, 1161), praeterquam quod exempla, ubi verbum curandi simplex coniunctivus sequatur, satis rara sunt. Quare acquiescendum est in Lambini coniectura.

ducere = adducere II 788.

efficere I 20, 29; IV 243.

facere II 289 sqq.; IV 928 (*fac ne*) alibi.

inlicere II 788; V 169

invitare I 70.

---

[1]) Annal. philol. 119, p. 546 adn.

[2]) *Cavere* cum simplici coniunctivo exstat II 755.

[3]) Saepissime verbum cogendi infinitivum secum habet cf. Holtzius l. c. p. 126 sq.

[4]) *Concedere, erlauben,* cum infinitivo activi legitur I 831 sq. *Concedere* cum infinitivo passivi exstat I 613 sq.

latrare = postulare ac flagitare II 17 sqq.
praedicere II 641.
sequi II 983 sqq.
suadere IV 1149 sq.[1]).
sibi sumere I 876.
videre ne, I 465.

Praeterea p. ut sequitur haec substantiva:
potestas V 1046.
ratio VI 132, 639.

Particula *ne* pendet praesertim ex his verbis:
prohibere II 288.
tenere = prohibere I 1009.
vitare errorem IV 821.
vitare IV 1138.
metuere III 1020; VI 597 sq. Memorabilis est III 771 sq., ubi verbum metuendi et cum infinitivo et cum p. *ne* coniunctum est: *metuit manere . . et ne obruat . .*[2])
vereri I 80, 414.
diffidere V 978.

Huc substantiva quoque pertinent:
cura V 1205 sqq.
timor V 1221 sq.; VI 604 sq.

Hoc loco non alienum esse videtur agere de particulis *quominus* et *quin*, quarum usus apud Lucretium satis parcus est.

a) P. *quominus* poeta usus est post:
impedire, *prohibere* } II 786[3]).
obstare, *contra pugnare* } I 780 sq.

---

[1]) *Suadere* cum infinitivo iunctum habes I 141 sq.; II 171.

[2]) *Metuere* cum infinitivo iunctum = vereri habes VI 565.

[3]) Aliis locis post verba prohibendi et impediendi infinitivus legitur I 438; III 322, 862; IV 918, 1261, aut *ne* II 288.

officere } II 784 sq.
obstare }

prohibere } I 977 sq.
officere }

Ultimo hoc loco codd. praebent *probeat efficiatque.* Gryphius et post eum Lambinus scribendum coniecerunt *officiatque,* quam coniecturam Munro, Bockemueller, Brieger (Philol. XXIII p. 634 sq.), Pollius (Philol. XXVI p. 307) alii probaverunt. At Lachm. Bern. Brieger in editione sua traditam scripturam servant. Sed dubium esse non potest quin *officiatque* vera sit scriptura. Talem enim coniunctionem qualis est *prohibere efficereque* frusta alio carminis loco quaeres. Solet potius hic poeta componere verba aut locutiones synonyma I 337 (*officere atque obstare*), 780 (*contra pugnare et obstare*), 973 (*prohibere obstareque*); II 280 (*contra pugnare obstareque*), 784 (*officere obstareque*), 786 (*impedire prohibereque*), 794 (*contra pugnare et obstare*); IV 1261 (*prohibere atque repugnare*); V 716 (*occursare officereque*).

b) P. *quin* sequitur haec verba et locutiones:
non dubitare II 53, 201; III 580, 601; VI 693[1]).
non est dubium IV 531, 917.
fieri non posse I 916.
non obstare III 26.

§ 6. De particulis sententiarum temporalium.

1. De p. *postquam.*

P. *postquam* quater tantum apud Lucretium legitur. Coniuncta autem est:

a) cum perfecto historico III 1037 (*postquam admonuit*

[1]) Uno loco, V 249, post *non dubitare, nicht zweifeln,* accusativus cum infinitivo legitur.

— *optulit*); V 1009 (*postquam pararunt — tum primum coepit*) V 1283 (*postquam primum cognita sunt — fuerunt*).

b) cum perfecto logico III 841 (*postquam distractast — sentit*).

2) De p. temporali *ubi*.

P. *ubi*, qua prae ceteris particulis temporalibus usus est, Lucretius plerumque adhibuit ad sententias generales exordiendas, rarissime ad res praeteritas narrandas. In sententia primaria ei respondent adverbia temporis: *tum* I 156; III 502 (*tum primum*); VI 129, 282 (*tum subito*), 526, 1061, 1151; *ibi* IV 146 (*ibi iam*), 664 (*ibi iam*); V 808; VI 277; *ibidem* VI 792; *continuo* II 771; IV 283; VI 147; *extemplo* VI 834, 865, 1004.

Iam ut ad singula transeamus, pendet e p. *ubi*:

1. Indicativus

a) praesentis in sententiis generalibus ita ut p. *ubi* interpretemur *wann* II 475, 829, 963 sqq. (*ubi corpora trepidant inque locum quando remigrant*), 1118; III 162 sqq., 431; IV 432, 551, 620, 656; V 883, 1066, 1072, 1074, 1083; VI 114, 431, 517, 520, 545, 552, 736, 791, 808, 836, 1003, 1117.

b) perfecti praesentis, cuius usus exempla rara inveniri Draeger [1]) docet. Apud Lucretium talis usus exempla exstant circiter quinquaginta I 250; II 260, 769; III 152, 218, 449, 451, 500, 796; IV 145, 278 (*ubi primum*), 282, 358, 399, 418, 523, 529, 602 (*ubi semel*), 662, 769, 913, 1024, 1107; V 407, 562, 649 sqq. (*aut ubi — aut quia*); VI 128, 145, 149, 175, 274, 281, 327, 446, 451, 524, 578, 672, 685, 686, 833, 852, 864, 869, 1047, 1061, 1099.

c) perfecti praesentis et praesentis in eadem sententia III 910 (*ubi discubuere tenentque pocula*).

---

[1]) l. c. p. 593.

d) perfecti historici, cuius usus unum tantum exemplum exstat in carmine Lucretiano V 413 sqq. (*ubi recessit vis . . . constiterunt imbres*).

e) futuri primi I 854; III 836; VI 191 (*cum portabunt... aut ubi videbis*).

f) futuri exacti I 155 (*ubi viderimus — tum perspiciemus*); II 487; VI 996.

g) imperfecti in narratione alicuius rei, quae saepe accidit VI 1228 (*ubi se quisque videbat implicitum morbo maesto cum corde iacebat*).

h) plusquamperfecti ad rem, quae saepe accidebat, indicandam V 806 (*quos ubi aestus patefecerat — ibi convertebat natura foramina terrae*); VI 1149 (*ubi compleverat pectus — vitae claustra lababant*), 1216 (*ubi gustarat — languebat*).

2. Coniunctivus

a) perfecti VI 854; coniunctivus hic causam habet in vicino infinitivo.

b) praesentis II 313 (*ubi nequeas*); III 868 (*ubi videas*); V 100 (*ubi adportes*); VI 901 (*ubi admoveas*); omnibus his locis secunda persona generalis intellegenda est. Tertia persona coniunctivi praesentis legitur III 504; IV 203. Duobus his locis coniunctivus legitur eadem de causa, qua VI 854 (cf. supra). Primam personam pluralis coniectura in poetae verba intulit Lachm. Legitur enim in codd. IV 596 sic:

conloquium clausis foribus quoque saepe videmus.

Pro verbo igitur *videmus*, cuius notionem ad vocem conloquii parum quadrare Lachm. putavit, coniecit *ubi demus*. Sed haec viri docti coniectura nulli probata est; neque id mirum. Praeterquam enim quod coniunctivi causa vix intellegitur, coniectura omnino non opus est, sed *conloquium videmus* idem est atque *conloquium fieri videmus*, ut recte explicat Munro; quare non erat quod Purmannus (Quaestt. Lucr., Lauban 1858 p. 14) versum deleret.

c) imperfecti I 167 (*ubi non essent*), 242 (*ubi nulla forent*); IV 922 (*ubi nulla pars remaneret*); his locis p. *ubi*

eandem fere vim habet ac p. *si ibi*. Horum locorum sententia condicionalis irrealis intellegenda est.

Reliquis locis, quibus invenitur coniunctio *ubi*, loci sententia causalis est et p. *ubi* idem valet atque *ibi enim* (*dann nämlich*) I 617 (*quippe ubi habebit . .*); III 430 (*quippe ubi movetur* [1]); IV 432 (*quippe ubi tuentur* [2]); V 1156 sq. [3]), vel *cum* (*quod*) *ibi* I, 182 (*quippe ubi forent*), 990 (*quippe ubi iaceret*). Omnibus autem locis, qui huc pertinent, p. *ubi* praecedit vox *quippe*, cuius significatio, ut iam supra dixi, haec est: *neque id mirum est*.

---

[1]) Lachm. hunc versum delevit eique adstipulatur Gneissius (l. c. p. 41 adn.); Bern. uncis inclusit. Sed Munro et Goebelius (Obss. p. 30) v.v. 430 et 433 servandos esse iudicant, quod versibus illis deletis intellegi non possit quanam tenui magis causa anima icta moveatur, ubi somnis sopiti vaporem fumumque ab altaribus exhalari cernimus, nisi de illorum imaginibus cogitamus.

[2]) Langenus (Philol. XXXIV p. 33 sq.) v.v. 432 et 433 suspectos esse iudicat. Offendit enim in v. 433, quod in tam longa serie rerum, quibus hominis sensus fallantur, hoc uno loco poeta moneat ne quis credat nos sensibus falli, cum alibi in hac enumeratione satis habuerit singulos sensuum errores enumerare. Putat autem vir doctissimus v. 433 optime poni post v. 384. In hac re Langeno plane adsentior. Quod vero v. 432 quoque interpolatum esse arbitratur quippe qui contineat initium explicationis qui fiat ut nautis in alto sol ex undis oriri atque rursus in undas descendere videatur, cum ceteris locis totius enumerationis rerum explicandarum vestigia nulla appareant, hoc loco illam explicationem fortasse ideo ferendam esse puto, quod hic duplicis erroris sensuum mentio fit — sol enim videtur ex undis oriri et iterum in undas descendere cum in ceteris rebus error esset simplex.

[3]) Codd. praebent: *quippe ubi ferantur*. Qualis hic coniunctivus explicandus sit non video neque mihi persuasi recte se habere quod docet Holtzius (l. c. p. 148) coniunctivum *ferantur* fortasse antecedentem *debet* causam habere. Equidem pro tradito coniunctivo *ferantur* scribendum esse censeo *feruntur*, quod ceteris quoque locis, omissis I 182 et 990, ubi sententia irrealis condicionalis intellegenda est, post *quippe ubi* indicativus legitur cf. I 617; III 430; IV 432.

3. De particulis *ut, simul, simulac* similibus.

1. P. *ut* temporalem bis tantum repperi in carmine Lucretiano et eam quidem coniunctam cum adverbio *semel;* sequitur perfectum logicum I 1030 (*ut semel in motus coniectast convenientis, efficit ut . .*); IV 608 (*at simulacra viis derectis omnia tendunt ut sunt missa semel*). Addita p. *semel* ad particulam *ut* significatur actionem sententiae primariae statim sequi actionem sententiae secundariae.

2. *Simul*[1]), *simulac*[2]), *simulatque* p. p. Lucretius plerumque adhibuit in sententiis generalibus similiter ac p. *ubi,* rarissime ad res praeteritas narrandas. In sententia primaria illis particulis respondent adverbia temporis *continuo* (IV 344; VI 1024), *extemplo* (IV 210; V 288), *ibi* (III, 213), *tum* (VI 402), *subito* (VI 441).

Habent autem illae particulae secum:

a) perfectum praesentis I 1040 (*debent — simulac defecit*); III 14 (*simulac coepit — diffugiunt*), 211; IV 342; V 286; VI 402, 440, 1022.

b) perfectum praesentis et praesens in eadem sententia I 10 sq. (*simulac . . . patefactast . . . et . . viget . .*).

c) praesens in sententiis generalibus IV 209 (*simulac primum ponitur — extemplo respondent . .*), 780 (*simulac volumus*), 1034.

d) perfectum historicum; in sententia primaria legitur imperfectum I 87 sqq. (*simul infula . . profusast . . et . . simul sensit . . terram genibus summissa petebat*).

Coniunctivus perfecti in oratione obliqua duobus locis exstat VI 757, 821.

---

[1]) Coniunctio *simul,* quae ter exstat, non legitur nisi ante vocalem I 87 (*simul infula*), 89 (*simul ante*); VI 1022 (*simul a*).

[2]) Coniunctio *simulac primum* admodum rara quatuor locis Lucretianis invenitur IV 209; V 286; VI 757, 821. Addito adverbio *primum* indicatur exiguum tantum temporis spatium intercedere inter actionem secundariae et actionem primariae sententiae.

4. De p. *quando*.

P. temporalis *quando*, quae tribus tantum locis carminis Lucretiani invenitur, secum habet:

a) praesens in sententia generali II 966 *(ubi . . trepidant . . inque locum quando remigrant)*; III 384 *(quando obretimur euntes)*.

b) perfectum hist. V 412 *(umor . . quondam coepit superare . ., hominum multas quando obruit urbis)*.

Holtzius (l. c. p. 12) duo tantum particulae temporalis *quando* exempla adfert (II 966; III 384). At particulam *quando* in V 412 temporalem intellegendam esse in aperto est. Ex altera parte Reichenhartus [1]), fortasse ductus VI 950, falso putat I 495 quoque p. *quando* tempus significari. Nam permanat calor argentum penetraleque frigus quoniam manu retinentes pocula utrumque sentimus infuso lympharum rore.

5. De particulis *dum*, *donec* similibus.

I. *Dum* p. coniungitur

a) cum indicativo praesentis si temporis spatium indicatur, per quod res sententia primaria significata geratur vel accidat I 178 *(dum tempestates adsunt . . patefit quodcunque creatur)*; II 152 [2]), 1125; III 590, 705, 1080; IV 90, 279, 356, 557,

---

[1]) l. c. p. 10.

[2]) Oblongus habet *quosidum diververat*, Quadratus *quo sidū diverberat*, ut docet Woltjer (Annal. philol. 119. p. 782), qui codd. Leidenses Lucretianos denuo contulit. Lachm. *quosi dum diverberet*, Munro *quasi dum diverberet* codd. scripturam esse putaverunt. Lachm. indicativum *diverberat* impugnat adnotans: ‚Lambinus pessime quasi dum diverberat: nam dum intellegendum est donec.‘ Cum Lachmanno coniunctivum receperunt Bernaysius et Munro, quamquam hic putat indicativum defendi posse. Mea autem sententia quia codd. consensus indicativum *diverberat* commendat et p. *dum*, si interpretamur *während*, sanam sententiam praebet, nulla est causa cur a codd. memoria quam Brieger quoque servat recedamus cf. IV 279, 356, 557, 610; VI 302. In insolita particularum *quasi dum* collocatione Bockemueller et Bouterwekius (de Lucr. cod. Victor. p. 10) adeo offenderunt ut versum coniecturis temptare non dubitarent; sed cf. VI 1085 *est etiam, quasi ut anellis hamisque plicata inter se quaedam possint coplata teneri*.

610, 627, 952; V 55, 586, 762, 768, 1098; VI 302 (Lachm. et Bern. male coniecerunt *cum*), 1165.

b) cum indicativo aut coniunctivo si idem est ac nostrum *bis*:

α) ex communi scriptorum usu sequitur indicativus si temporis articulus indicatur, quo actio sententiae primariae finitur IV 1106 *(usque adeo, cupide in Veneris compagibus haerent, membra voluptatis dum vi labefacta liquescunt)*.

β) coniunctivus sequitur cum aut consilii notio exprimitur ut I 499 *(ades dum expediamus)* aut aliquid significatur quod cogitatur tamquam fieri possit ut I 246 *(incolumi remanent res corpore, dum satis acris vis obeat)*; 1045; V 698, 974.

Duobus locis ubi coniunctivus exspectatur, indicativus legitur post p. *dum* I 945 sqq. *(volui tibi . . rationem exponere nostram . . . si tibi forte animum . . tenere . . possem, dum perspicis omnem naturam rerum . .)*; IV 24 *(dum percipis)*. His indicativis exprimitur poetam satis confidere fore ut sibi contingat ut Memmio rerum naturam tam bene exponat ut omnia dilucide perspiciat.

Restant duo loci, quibus p. *dum* causali vel instrumentali notione praedita est ita ut interpretemur *indem, dadurch dass, weil* I 659 *(ardua dum metuunt, amittunt vera viai)*; III 68 sqq. *(dum se . . effugisse volunt longe . . . ., sanguine civili rem conflant)*.

II. *Donec* p. indicatur

a) temporis articulus, quo actioni sententiae primariae finis imponitur. Ac sequitur

α) indicativus

1. perfecti praesentis I 222 *(donec vis obiit . . nullius exitium patitur natura videri)*; 900; II 276, 949, 1116, 1130; III 654; IV 429; V 685, 706, 721; VI 120, 203, 458, 1013.

2. perfecti historici V 874, 1355, 1455, 995 *(accibant vocibus Orcum donique eos vita privarunt vermina saeva)*. Codd. consensu in hoc versu plusquamperfectum *privarant* legitur. Sed quod eiusmodi usus exemplum nusquam invenitur

(cf. Draeger l. c. p. 615) ceterisque locis Lucretianis in narrationibus p. *donec* cum perfecto coniuncta est, sine dubio cum Creechio et Briegero scribendum est perfectum *privarunt*.

β) coniunctivus uno loco IV 994 *(canes . . . secuntur inania saepe cervorum simulacra . . . donec discussis redeant erroribus ad se)*. Significatur hoc coniunctivo res saepe iterata neque opus est Pollii (Annal. philol. 95. p. 34) quem sequitur Brieger coniectura *redeunt*, qui ea sola de causa ita legendum esse putat quod nusquam alibi in carmine Lucretiano coniunctivus post p. *donec* exstat.

b) temporis spatium, quo res sententia primaria significata geritur, ita ut p. *donec* valeat *quamdiu* V 178 *(natus enim debet . . velle manere in vita, donec retinebit blanda voluptas)*. Cuius usus exempla ante Horatium inveniri Draeger (l. c. p. 615) falso negat.

Quod attinet ad formam particulae quatuor locis ante vocalem invenitur prisca forma *donique* II 1116 *(donique ad)*; 706 *(donique eum)*, 721 *(donique eam)*, 995 *(donique* [codd. *denique*] *eos)*. Ne vero, quod forma *donique* non invenitur nisi ante vocalem, putes hunc poetam ante vocalem forma *donique*, ante consonantem *donec* usum esse cf. II 276 *(donec eam)*, 1130 *(donec alescendi)*; IV 429 *(donec in)*; V 685 *(donec ad)*, 874 *(donec ad*. Haec observatio me impedit quominus faciam cum Jesseno (l. c. p. 19 sqq.) et Sauppio (Ind. schol. aest. Gottingae 1880 p. 10), qui docent Lucretium ante vocalem semper coniunctionem *neque* usurpasse eamque coniunctionem vel contra codd. consensum restituendam esse.

6. De particulis *antequam* et *priusquam*.

Particulae *antequam* et *priusquam* pari modo parique fere numero a Lucretio usurpatae sunt. Ac scribitur aut coniunctim *antequam* et *priusquam* aut ita ut *ante* vel *prius* a *quam* divulsum sit uno aut pluribus vocabulis interpositis. Ut ad singula transeam, inveni post illas particulas

1. Indicativum:

a) praesentis III 970 sq. *(respice item quam nil ad nos ante acta vetustas temporis aeterni fuerit, quam nascimur*[1]*) ante)*; VI 170 *(fulgorem cernimus antequam tonitrum accipimus)*, 979 sq. *(hoc etiam superest, ipsa quam dicere de re adgredior quod dicendum prius esse videtur)*; hoc loco de re futura sermo est.

b) perfecti logici IV 881 *(quam . . providit . . ante)*; VI 901 sq. *(antequam tetigit)*.

c) perfecti historici IV 833 sq. (*nec fuit ante videre oculorum lumina natum, nec dictis orare prius quam lingua creatast)*, 836 sq. (*multoque creatae sunt prius aures quam sonus est auditus*).

d) futuri V 110 sqq. (*qua prius adgrediar quam de re fundere fata . . . . . . multa tibi expediam* . .).

2. Coniunctivum:

a) praesentis

α) in sententiis universe dictis III 391 sqq. (*usque adeo prius est in nobis multa ciendum semina . . . quam primordia sentiscant . . . et quam possint concursare*); V 1032 sq. (*cornua nata prius vitulo quam frontibus extent, illis iratus petit* . .); VI 903 sq. (*multaque praeterea prius ipso tacta vapore eminus ardescunt quam comminus imbuat ignis*).

β) in sententiis, in quibus res ita est comparata ut temporalis sententiae actio non eveniat, sed actione primariae sententiae prohibeatur III 820 sq. (*recedunt pulsa priusquam quid noceant sentire queamus*), 957 sq. (*et necopinanti mors ad caput adstitit ante quam satur ac plenus possis discedere rerum*); V, 390; VI 463 (*ante . . . quam possint*).

b) imperfecti; omnibus autem locis, quibus particulas *antequam* et *priusquam* coniunctivus imperfecti sequitur, res sic se habet, ut sententia temporali simpliciter circumscribatur tempus, ante quod actio sententiae primariae fiat; in apodosi

[1]) De praesenti cf. Christius, quaestt. Lucretianae p. 12 sq.

legitur perfectum historicum. Ac praetulit poëta coniunctivum imperfecti indicativo perfecti historici, qui bis tantum post illas p. p. apud Lucretium invenitur, cum coniunctivus imperfecti quinquies legatur. Satis memorabilis est IV 820—855, quo loco poeta docet exemplisque comprobat in corpore nihil utilitatis causa creatum esse. Ibi enim duobis locis (v. v. 834 et 837) post p. *priusquam* indicativus perfecti legitur, cum tribus aliis locis (v. v 838, 842, 843 sq.) post *antequam* et *priusquam* coniunctivus imperfecti inveniatur. Praeter hos locos coniunctivus imperfecti exstat post illas particulas III 588 sq.; V 1378.

c) perfecti I 53 (*ne mea dona . . . intellecta priusquam sint, contempta relinquas*), ubi sententiae temporali consilii notio inest.

Reliquis locis II 832, IV 294, V 1340, VI 169 coniunctivus causam habet in propinquo coniunctivo aut infinitivo.

§ 7. De particulis comparativis.

1. De p. *ut* comparativa.

P. *ut* in comparatione duarum rerum earumque condicione in altera parte sententiae vocabula habet quae sibi respondeant: *ita*, *sic*, *item*, alia. Sic repperi:

ut — *ita* II 780.

ita — *ut* I 479 (*non ita ut*), 539, 761; II 901; III 1055 (*haud ita ut*); VI 499 (*pariter ita* — *ut pariter*).

ut — *sic* I 404; III 339, 459, 561, 701, 902; IV 511, 1089; V 785; VI 415.

sic — *ut* II 509.

item — *ut* VI 537.

ut — *itidem* III 11; VI 633.

ut — proinde IV 644 (*ut sunt dissimiles extrinsecus* . . *proinde et*[1]) *seminibus constant variante figura*) 653.
ut — adsimili (codd. *et simili*) *ratione* I 1061.

Praeterea p. *ut* comparativam legis, ubi desideres p. *ac* vel *atque* III 855 (*in eodem ordine ut nunc sunt*).

Uno loco p. *ut* cum pronomine relativo *qui* iuncta idem significat atque *tamquam* vel *quasi* IV 1014 (*ut qui praecipitent* = tamquam p.).

Pro usitatiore *ut — ita* vel *quomodo* (*quemadmodum*) — *sic* in comparationibus Lucretius compluribus locis usus est locutione *quod genus — sic*. Dittelus[2]) primus observavit verbis *quod genus* respondere p. *sic*. Ac dicit Dittelus: III 266—269, 276—279, 327—329; IV 270—278 enthalten einen regelrechten Vergleich, in dem quod genus den Vordersatz, sic den Nachsatz einleitet. An diesen Stellen wird ein Gegenstand nur als Bild eingeführt, während mit quod genus est und ähnlichen es vorzugsweise auf Anführung von Beispielen abgesehen ist. Es hat daher Lucretius quod genus im Sinne von quemadmodum oder quomodo, welche in keinem seiner Vergleiche vorkommen, zur Einführung des Vordersatzes einer vergleichenden Periode gebraucht und die scharfe Interpunktion, mit der Lachmann, Bernays, Munro die Verse III 268, 278, 328; IV 277 schliessen, ist zu tilgen."

Similiter iudicat Winckelmannus (l. c. p. 17) ad III 268: Statt des Punktes ist ein anderes Zeichen zu setzen; denn es entsprechen sich quod genus = quemadmodum und sic. Dieselbe Aenderung ist nöthig 3,278, 328; 4,278; 6,894. Lohmannus (l. c. p. 16 sq.) Ditteli et Winckelmanni sententiam defendit ostendens illa responsione (*quod genus — sic*) elegantiam et concinnitatem locorum, quibus *quod genus — sic* legatur, valde augeri. Brieger ita concedit sibi respondere

[1]) Lachm. et Brieger sine iusta causa *proinde ex* scribunt. *Et* hoc loco, ut saepe apud Lucretium, valet *etiam*.

[2]) Programm des Kaiserl. Königl. Staatsgymnasiums zu Innsbruck 1874 p. 7.

quod genus et *sic* ut ea, quae verbis *quod genus* inducantur non minus ad ea, quae antecedant, referenda esse dicat quam ad ea quae sequantur. Neque facere possum quin in hac re Briegero adsentiar. Nam re vera omnibus illis locis res ita comparata est ut id, quod antea positum est, comparatione, quae a verbis *quod genus* incipit, illustretur et probetur. Sed tameu id minime dubium esse posse arbitror quin ante p. *sic* lenius sit interpungendum.

2. De particula *sicut*.

Particulae *sicut* pauca tantum exempla exstant apud Lucretium neque usquam ei particulae *ita, sic* alia respondent. Legitur autem *sicut* II 536; III 810 = V 357; III 814 = V 361. V 128.

Memorabilis est locus II 847 sqq., ubi in comparatione sibi respondent *sicut* (v. 847) et *propter eandem rem* (v. 854). Poeta cum comparationem eodem modo, quo coeperat, usque ad finem perducere non posset, constructione priore relicta a verbis *propter eandem rem* alio modo pergit.

3. De particula *velut*.

a) Particula *velut* ita usurpata ut usus vocabuli nimis insolenter aut audacter adhibiti quasi excusetur, ponitur ad substantiva, adiectiva, participia I 291 *veluti validum flumen;* II 118 *velut aeterno certamine*; 682 *velut in cavea;* VI 504 *veluti pendentia vellera lanae.*

b) *Velut* ita usurpatum ut idem sit atque *velutsi* apud Lucretium frusta quaeres.

c) Saepe hic poeta p. velut mere comparativa ita usus est ut ei respondentes faceret particulas *ita* et *sic*. Ac legis:

α) *velut* — *sic,* quam coniunctionem Draeger (l. c. p. 684) raram esse docet, I 936 sqq. = IV 11 sqq. (*veluti pueris . . . pocula circum contingunt mellis dulci flavoque liquore . . ., sic ego nunc . . . volui . . . contingere . . .*); 1038 (*veluti natura animantum diffluit . ., sic omnia debent*

dissolvi); II 55 sqq. = III 87 sqq. = VI 35 sqq. (*nam veluti pueri trepidant . . ., sic nos in luce timemus interdum . . .*); III 447 sq.; 549 sqq., 830 sqq.

β) *velut — ita*, cuius rei Draeger (l. c. p. 684) unum tantum exemplum adfert, II 720 sq. (*nam veluti tota natura dissimiles sunt inter se genitae res quaeque, ita quamque necessest dissimili constare figura principiorum*).

4. De particula *tamquam* [1]).

a) P. *tamquam*, qua aeque ac p. *velut* voces insolenter usurpatae excusantur ac notione debilitantur, adponitur ad nomina I 737 (*tamquam ex adyto cordis*); II 933 (*tamquam aliquo partu*); III 1054 (*tanta mali tamquam moles*); VI 426 = 433 (*tamquam demissa columna*), ad verba VI 975 (*quod nos tamquam recreare videtur*).

b) *Tamquam* ad significandam comparationem fictam cum coniunctivo coniunctum habes III 914 (*tamquam in morte mali cum primis hoc sit eorum, quod . . .*); VI 866 (*tamquam compressa manu sit*). Uno loco p. *tamquam* antecedit p. *perinde* IV 260 sq. (*perinde . . . tamquam verberet*). Huius usus Draeger (l. c. p. 641) unum exemplum e Livio profert.

c) Uno loco p. *tamquam* verbo non apposito comparandi vim habet VI 1234.

d) Nusquam in carmine Lucretiano huic particulae respondent particulae *sic* aut *ita*.

5. De particula *quasi*.

P. *quasi* Lucretius satis crebro usus est. Atque inveni eam:

a) positam ante nomina, adiectiva, adverbia, verba ad excusandum vocabulum audacter usurpatum velut I 432 (*quasi tertia natura*), 947 = IV 22 (*quasi musaeo dulci contingere melle*), 994 (*quasi confl ere*), 1085; II 69, 79 (*quasi cursores*),

[1]) De particularum *tamquam* et *quasi* usu Lucretiano vide etiam E. Reichenhartum in „Abhandlungen aus dem Gebiete der klassischen Altertums-Wissenschaft", p. 399 sqq.

135 (*quasi proxima*), 152, 289, 446, 958; III 67, 174, 256, 265, 280, 440, 496, 553, 593, 705, 727, 813; IV 31, 185, 189, 196, 247, 339, 359, 361 (*quasi adumbratim*), 461, 939, 947; V 287, 299, 360, 496, 663, 708, 775; VI 22, 142, 181, 282, 344, 445, 482, 493, 571, 826, 846, 1025, 1164.

b) coniunctam cum participiis in comparatione ficta II 291 (*ne mens . . . devicta quasi id cogatur ferre patique*); III 934, 1062 (*currit . . ad villam auxilium tectis quasi ferre ardentibus instans*); IV 987 (*quasi carceribus patefactis*), 1015 (*quasi mentibus capti*), 1028 (*quasi transactis saepe omnibus rebus*); VI 1085 (*quasi . . anellis hamisque plicata*).

c) conexam cum coniunctivo III 1057 (*quasi onus deponere possit*); IV 374 (*quasi in ignem lana trahatur*), 809 (*proinde quasi semotum fuerit*), 993 (*quasi cernant*), 997 (*proinde quasi tuantur*); V 727 (*proinde quasi id fieri nequeat*); VI 434 (*quasi trudatur et extendatur*), 515 sq. (*quasi liquescat*), 971 (*usque eo . . . quasi vero effluat*); IV 1009 sq. (*quasi mandantur morsu*). Tribus locis IV 809, 997, V 727 particulam *quasi* antecedit p. *proinde*.

d) Compluribus locis Lucretianis p. *quasi* notio particulae *ut* comparativae inest 602 sqq. (*ubi una* ⟨ *vox* ⟩ *dissiluit semel in multas exorta, quasi ignis saepe solet scintilla suos se spargere in ignes*); V 1123 (*quasi fulmen*); VI 877, 1031. Coniectura Lachm. p. *quasi* in poetae verba intulit III 491 (*vis morbi . . agens animam spumat, quasi in aequore salso ventorum validis fervescunt viribus undae*). Nonnunquam p. *quasi* respondet p. p. *sic, item, pariter:*

α) *quasi* — *sic* II 552 sqq. (*quasi . . disiectare solet magnum mare transtra . . ., sic . . .*); III 147 (*quasi . . . . non omni concruciamur corpore, sic . . .*); IV 159 sqq. (*quasi . . sic . . item simili ratione*).

β) *item* — *quasi* II 453 (*namque papaveris haustus itemst facilis quasi* [1]) *aquarum*).

---

[1]) *Quasi* ex M. Hauptii coniectura. Codd.: *quod*.

γ) pariter — quasi V 548 sq.

e) *Quasi si* uno loco exstat IV 1007 (*quasi si iugulentur ibidem*).

6 De particula *perinde*.

P. *perinde* uno loco legitur coniuncta cum p. *tamquam* IV 260 *fierique perinde videmus corpore tum plagas in nostro tamquam aliquae res verberet.*

7 De particula *utsi*.

Coniunctionem *utsi* idem significantem atque *quasi* ex communi scriptorum usu coniunctivus sequitur IV 991 (*crebro ⟨ canes ⟩ redducunt naribus auras ut vestigia si teneant inventa ferarum*); VI 152 (*lauricomos utsi per montes flamma vagetur*). Pro p. *utsi* simplicem particulam *ut* in VI 1229 positam esse viri docti putant. Ibi enim haec leguntur:

ubi se quisque videbat
implicitum morbo, morti damnatus ut esset . . .

Adnotat igitur Lachm.: ‚aptius, nisi fallor, morti damnatu' quasi esset: falsum est enim nullum morbo correptum sanatum esse. ut pro utsi quam recte dicatur ignoro.' Similiter iudicat Munro: ‚ut esset must be for utsi, quasi, tamquam esset, though it is a very rare use'. Atque unum tantum exemplum profert in corrigendis e Livio (VIII 37,6). Equidem vero non intellego cur p. *ut* hic idem esse oporteat atque *utsi*. An quid obstat quominus locum sic explicemus: ubi se quisque ita implicitum morbo videbat ut morti damnatus esset, deficiens animo maesto cum corde iacebat? Neque enim ubi se quisque morbo implicitum videbat, animo defecit, sed potius ubi adeo morbo implicitum se videbat ut spes salutis nulla iam esset. Particula *ut* igitur sine dubio consecutiva intellegenda est. Nam ne Lachmanni, Bernaysii, Munronis aliorum sententiae de vi ac notione particulae *ut* adsentiamur vetamur v. 1231, in quo narratur illos homines, qui morbo implicitos se viderint, mortuos

esse; erant igitur re vera morti damnati neque vero quasi damnati.

8. De particula *ceu*.

Simplex p. *ceu* sonans *wie* ter apud Lucretium legitur III 456 (*ergo dissolvi quoque convenit omnem animai naturam, ceu fumus*[1]) *in altas aëris auras*); IV 54 (*robora ceu fumum mittunt*); V 1132 (*invidia quoniam, ceu fulmine, summa vaporant*).

Duobus locis *ceu* cum particula *si* coniunctum est IV 616 (*ceu plenam spongiam aquai siquis forte manu premere ac siccare coëpit*); VI 161 (*ceu lapidem si percutiat lapis aut ferrum*); hic coniunctio *ceu si* valet *quasi* vel *tamquam*.

9. De particula *proinde*.

Proinde p. in comparationibus coniungitur cum p. p. *ac*, *quasi*, *ut*. Habes igitur:

proinde ac III 1051 (*proinde ac sentire videntur*); IV 655; III 1033 (*proinde ac famul infimus esset* = tamquam . . . esset).
proinde quasi IV 809, 997; V 727.
ut — *proinde* IV 644, 653.

10. De particula *quam*.

De p. *quam* comparativa haec censeo commemoranda esse. P. *quam* in comparatione duarum rerum ita usurpatur ut ei respondeant particulae *tam*, *ita*, *adeo:*

a) *tam* — *quam* I 855 (*res funditus omnis tam mortalis erit quam quae manifesta videmus . . . perire*); II 265 (*tam de subito quam mens avet ipsa*), 838, 1088; III 762 (*nec tam doctus equae pullus quam fortis equi vis*); V 899, 1345 alibi.

---

[1]) De nominativo, pro quo desideres accusativum cf. Lachm. ad III 614.

b) *non ita — quam* III 5 (*non ita certandi cupidus quam propter amorem*); IV 1139.

c) *adeo — quam* III 182.

Semel p. *quam* posita est post adiectivum *aliud* III 110 (*non alio pacto quam si . . .*), cum ceteris locis post idem adiectivum particulae *ac, atque, et* inveniantur.

Lucretium nunquam dixisse *quam magis — tam magis,* sed *quo* vel *quanto magis — tam magis* Lachm. docuit ad II 586. Exempla exstant haec:

quo magis — tam magis I 536 sq.; II 197 sqq.; IV 998 sq., 1081 sq.

quanto magis — tam magis IV 79 sq., 249 sqq. (*quanto plus — tam magis*); V 452 sq., 483 sqq. (*quanto magis — tam magis — et tanto magis*).

Semel legitur *quam magis — tanto magis* VI 460.

11. De particulis *ac, atque, et.*

In comparatione aequalitatis, similitudinis, dissimilitudinis Lucretius utitur particulis *ac, atque* post adiectiva, pronomina, adverbia. Sic legis I 845 *pariter atque;* 848 *simili natura atque;* II 351 *nec minus atque;* 411 sq. *aeque ac;* 881 *non alia longe ratione atque;* 1073 sq. *simili ratione atque;* III 96 *nilo minus ac;* IV 33 sq. *eadem atque;* 444 *longe aliam in partem ac;* 753 sq. *aeque nec minus atque;* V 349 sq. *idem atque;* 460 *non alia longe ratione ac;* 1028 *non alia longe ratione atque;* 1258 sq. *simili figura atque;* VI 306 *non alia longe ratione ac.* Eodem modo utitur p. *et:* I 280 sq. *nec ratione fluunt alia . . . et cum;* II 272 *nec similest et*[1]) *cum;* 414 sq. *neu simili forma et cum;* 418 sqq. *simili semine et qui;* III 1090 sq. *nec minus diu et ille;* V 1063 sq. *longe alio sonitu et cum;* 1068 sq. *longe alio pacto et*

[1]) Codd. et edd. omnes habent *ut cum.* Quoniam autem apud Lucretium post adiectivum *simile* nusquam particula *ut* sed *ac, atque, et* inveniuntur et ab altera parte ante consonantes gutturales p. *ac* ab hoc poeta vitatur, pro *ut cum* legendum est *et cum.*

cum; 1079 sq. *longe alias voces et quom.* Apparet ex his exemplis Lucretium particula *et* comparativa non usum esse nisi ante consonantes *c* et *qu* et vocales. Confirmatur hac re quod docet Hauptius [1]) Lucretium particulam *ac* prorsus vitavisse ante consonantes gutturales excepto uno loco (VI 440).

§ 8. De particulis concessivis.

1. De particula *quamvis*.

Particularum concessivarum Lucretius praeter p. *cum* longe frequentissime usus est p. *quamvis.* Ac sequitur hanc particulam:

a) indicativus cum significatur id, quod conceditur, re vera esse vel fieri, ita ut p. *quamvis* vix differat a p. *quamquam* III 403 (*quamvis est*), 703 (*quamvis eunt*); IV 424 (*quamvis est*). Praeterea p. *quamvis* indicativus sequitur III 415. In codd. hic versus sic exstat:

incolumis quamvis alioqui splendidus orbis.

Lachm. hunc versum delevit eadem de causa, qua delendum esse censuit v. 412, quod et constructione laboraret et vocabulo non satis antiquo insignis esset. Bernaysius versum uncis inclusit. Inde a Bernaysii aetate omnes, qui de hoc loco egerunt, viri docti, quos quidem noverim, praeter C. Wolffium [2]), qui Lachmanno adstipulatur, versum servandum esse rati varias coniecturas protulerunt. Munro igitur scribit *aliquoi sit* pro *alioqui;* quae coniectura praeterquam quod *alioqui* deleri nullo modo licet, si sententiam respicis nimis supervacanea et languida est. Eodem modo male particulam *alioqui* delevit Goebelius [3]), qui legi vult:

incolumis quamvis linquatur splendidus orbis.

---

[1]) Observationes criticae p. 35 sq. = Opusc. I p. 108 sq.

[2]) De Lucretii vocabulis singularibus, diss. inaug., Halae 1878 p. 39.

[3]) Obss. p. 30.

Neque minus improbatur Bockemuelleri *splendeat* pro *splendidus;* splendidus enim orbis quid sit facile intellegitur, cum simplex orbis vix oculus intellegi queat. Pollius [1]) deinde Lachmanno adsentitur versum delendum esse, quamquam concedere coactus est vocem *alioqui* hoc loco aptissimam esse neque speciem interpolationis prae se ferre. Neumannus [2]) porro versum servari vult ita ut sumatur post hunc versum excidisse versum talem fere:

servetur circumque aciem salvus videatur.

Omnes hae coniecturae et mutationes infringuntur Kannengiesseri [3]) emendatione, in quam ego quoque incidi antequam mihi innotuit illius viri docti commentatio. Scribit igitur versum sic:

incolumis quamvis alioqui 'st splendidus orbis [4]).

Defendit autem coniecturam suam eo quod aliis quoque locis Lucretianis ac praesertim loco simillime comparato (III 403) post *quamvis* indicativus inveniatur et quod litterae st ante sp facile excidere potuerint. Neque dubium esse potest quin hac coniectura poeta manus restituatur. Primum enim vocabulum non satis antiquum, alioqui dico, non invenitur sane ante Lucretium. Sed inde minime sequitur ut Lucretii aetate non exstiterit. Nam multa vocabula apud hunc poetam leguntur, quae ante eum non inveniantur. Fortasse Horatius, qui primus post Lucretium hac voce utitur, ut multa alia sic hoc quoque vocabulum ex ipso Lucretio hausit. Accedit quod vox *alioqui* nequaquam deesse potest quoniam in hoc ipso vocabulo summum pondus positum est.

Sed ut eo redeam unde deflexi, p. *quamvis* secum habet

---

[1]) Philol. XXVI p. 331.

[2]) l. c. p. 45.

[3]) Philol. XLIII p. 536.

[4]) Brieger codicum scripturam:

incolumis quamvis alioqui splendidus orbis

servat adnotans aurium iudicio utenti obscurum esse non posse cur poeta voculam est ante plendidus omiserit.

b) coniunctivum et cum verbis quidem coniuncta cum indicatur id, quod conceditur, esse vel fieri posse, his locis I 346 (*quamvis putentur*), 376 (*quamvis sint*), 387 (*quamvis confluat*), 398 (*quamvis moreris*), 620 (*quamvis sit*); II 177 (*quamvis ignorem*), 644 (*quamvis ferantur*); III 307 (*quamvis constituat*), 872 (*quamvis neget*).

Sin autem cum adiectivis vel adverbiis coniungitur, praeter notionem concessivam etiam eam vim habet ut indicet notionem adiectivi vel adverbii summo gradu positam intellegendam esse. I 434 (*quamvis levis exiguusque*); II 604 (*quamvis effera proles*); III 733 (*quamvis utile*); IV 47 = V 879 (*quamvis hebeti corde*), 153 (*quamvis subito*); VI 601 alibi.

2. De p. *quamquam*.

P. *quamquam*, quae quinquies tantum in carmine Lucretiano exstat, post se habet.

a) indicativum ex commuui usu scriptorum I 736 (*quamquam dedere*); VI 81 (*quamquam sunt profecta*), 938 (*quamquam pertinet*).

b) coniunctivum II 204 (*quamquam pugnent*), 277 (*quamquam pellat*). His duobus locis coniunctivi orti sunt ex vicinis infinitivis.

3. De *p. etsi*.

P. *etsi*, quae apud poetas rarissima est, inveni his locis III 1016 (*quae tamen etsi absunt . . at . .*); V 1154 sq. (*etsi fallit enim divom genus . . ., perpetuo tamen id fore clam diffidere debet*).

Cum breviloquentia quadam usurpatum est *etsi*, I 120 (*etsi praeterea tamen esse Acherusia templa Ennius aeternis exponit versibus edens . . .* Interpretamur illud *etsi tamen gleichwohl aber*. Similiter res se habet I 487.

4. De p. *ut* concessiva.

P. concessivam *ut* duobus tantum locis inveni II 920 (*quod tamen ut possint, at coetu concilioque nil facient praeter volgum turbamque animantum*); IV 471 (*uti — at*).

5. De p. *quamlibet.*

P. *quamlibet* secum habet coniunctivum III 985 (*quamlibet exstet . . . non tamen . .*); coniuncta est cum participio V 1114 (*quamlubet et fortes et pulchro corpore creti*). Eadem p. ante imperativum *esto* posita est, ita ut *quamlubet esto* idem fere valeat atque *quamvis licet.* II 541 *quamlubet esto unica res quaedam nativo corpore sola*).

6. De p. *licet.*

Duobus tantum locis invenitur p. *licet* VI 601 (*licet . . . reantur . .*), 620 (*licet . . . delibet . .*).

7. De p. *si iam.*

De usu p. *si iam* in concedendo Madvigius[1]) sic iudicat: ‚*Iam* particula in concedendo sic additur, ut significemus nos, omissis iis, quae aliter dici statuive possint, longius procedere.‘ Exstat autem *si iam* p. vi concessiva praedita his locis omisso loco mutilo I 1071: I 968 (*si iam constituatur*), 396 (*si iam posset*); III 538 (*si iam libeat*); V 195 (*si iam ignorem . . ., tamen . .*). Indicativus post *si iam* legitur III 764 (*quod si iam fit . .*), 841 (*si iam sentit . . ., nil tamen . .*).

Huc coniunctionem *esto iam* refero, quam duobus locis repperi II 907 (*sed tamen esto iam posse . . .; nempe tamen . .*); IV 1163 (*sed tamen esto iam . . ., nempe . .*).

---

[1]) l. c. p. 580.

8. De p. *cum* concessiva.

Particulam concessivam *cum* in carmine Lucretiano legi vicies. Ac sequitur hanc particulam

a) coniunctivus ex communi usu I 519, 749, 914; II 190, 309 (*cum* — *tamen*), 469 (*tamen* — *cum*), 696 (*cum* — *verum* . . . *tamen*); IV 104 (*cum* — *tamen*), 459, 576, 784 (*cum praesertim*); V 16 (*cum tamen*), 394, 1086; VI 567, 678 (*cum tamen*), 856, 976, 1071, 1213 (*cum* — *tamen*).

b) indicativus, quem post *cum* concessivum non inveniri nisi apud Plautum et Terentium Draeger [1]) falso putat, I 566 (*cum* . . ., *tamen* . . .), 726 (*cum* . . ., *tamen* . . .).

Liceat in fine commentationis paucis comprehendere ea quae de dicendi genere Lucretiano maxime memorabilia videntur.

1. Formularum, quae sunt *non solum* — *sed etiam* et similes, Lucretius perpaucis tantum usus est et eis quidem, quae apud ceteros scriptores rarissime aut omnino non inveniuntur cf. p. 16 sq.

2. Lucretius p. *atqui* prorsus vitavit, sed utitur *at nunc* vel *nunc igitur* cf. p. 17 sq.

3. Antiquiores scriptores secutus Lucretius in sententiis disiungendis saepissime p. *aut*, perraro p. *vel* habet cf. p. 25.

4. Eadem de causa hic poeta utitur saepe p. disiunctiva *ve*, ubi exspectatur p. copulativa *que* cf. p. 27.

5. Cum coniunguntur particulae *quoque* et *enim*, illa p. secundum, haec tertium sententiae locum tenet. Duobus locis legitur *enim quoque*, quae collocatio particularum rarissima est. cf. p. 34 sqq.

6. Saepe Lucretius complures sententias, quae sese excipiunt, particulis *nam*, *namque*, *enim*, *etenim* inter se iungit ita ut legatur *nam* — *nam* — *enim* similia. cf. p. 36.

7. Duobus locis p. *ergo* in apodosi posita est post coniunctionem *quoniam*. cf. p. 41.

---

[1]) l. c. p. 772.

8. Compluribus locis causa, ad quam refertur p. *ergo,* postea demum additur, ipsa autem p. *ergo* praemittitur. Idem fit in p. *igitur* cf. p. 42 sq.

9. P. conclusiva *eo* coniuncta cum p. *que,* quam coniunctionem ante Horatium inveniri Draeger negat bis apud Lucretium reperitur cf. p. 46.

10. P. conclusiva *proinde* septies cum indicativo coniuncta exstat in carmine Lucretiano. cf. p. 46.

11. De usu particularum causalium *quia* et *quod* memorabile est Lucretium veteres scriptores secutum illa p. multo saepius usum esse quam p. *quod* cf. p. 47 adn. 1.

12. Lucretius pro vulgari *accedit quod,* quam locutionem prorsus vitavit, aut *adde quod* aut *accedit ut* habet cf. p. 50.

13. *Ubi* p. cum indicativo perfecti praesentis coniuncta, cuius usus exempla rarissima sunt, circiter quinquagies apud Lucretium exstat cf. p. 56.

14. Coniunctio *simulac primum* admodum rara quater apud hunc poetam legitur cf. p. 59 adn. 2.

15. Coniunctio particularum comparativarum *velut* et *sic,* quae rarrissima est, novies apud Lucretium invenitur cf. p. 66 sq.

Index locorum.

THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM

COMMENTATIONE PHILOLOGICA

QUAE INSCRIBITUR:

DE CONIUNCTIONUM USU LUCRETIANO QUAESTIONES SELECTAE

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

A. D. IV. ID. AUG. A. MDCCCXCV HORA XI

IN PUBLICO DEFENDET

THEOBALDUS EDELBLUTH

RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

I. ESCH, CAND. PHIL.
I. FRANKE, CAND. PHIL.
G. SCHULTE, SEMIN. PHIL. REG. SENIOR.

MONASTERII GUESTF.

EX TYPOGRAPHIA IOANNIS BREDT.

MDCCCXCV.

Theses.

1. In Lucretii carmine libri I v.v. 331, 332, 333 (ed Bernays.) post v. 369 collocandos esse puto.
2. In Aeschyli Prometh. ante v. 614 (ed. Kirchhoff) nonnullos versus excidisse iudico.
3. In Sophoclis Electrae v. 162 sq. (ed. Nauck) pro codd. scriptura *Διὸς εὔφρονι βήματι μολόντα* scribendum conicio *Διὸς εὔφρονι ῥήματι μολόντα.*
4. In Sophoclis Trachiniarum v. 304 pro *χωρήσαντά ποι* legendum est *χωρήσαντά μοι.*
5. Ibidem in v. 946 pro tradita scriptura *πρὶν εὖ πάθῃ τις* lego *πρὶν ἐκμάθῃ τις.*
6. In Horatii epistularum libri II, 2, 171 pro *,vicina refugit iurgia* scribendum esse puto *vicina retundit iurgia.*
7. In Waltheri de Vogelweide carminis 47 (ed. F. Pfeiffer) v. 40 pro *daz ich sô rehte hân gegert* scribendum existimo *dcs ich sô rehte hàn gegert.*

Vita.

Natus sum Theobaldus Edelbluth Dillingae, in vico provinciae Rhenanae, a. d. VI Kal. Sept. anni huius saeculi LXVI patre Petro Eduardo, matre Maria e gente Edelblut, quorum illum praematura morte mihi ereptum esse valde lugeo, hanc superstitem esse magnopere gaudeo. Litterarum elementis imbutus infirma valetudine impeditus sexto decimo demum anno aetatis meae scholam Saarlouisiensem, quam tum vocabant höhere bürgerschule, deinde gymnasium Dionysianum Rheinense frequentavi, quod vere a. h. s. LXXXVII testimonio quod vocant maturitatis instructus reliqui. A mense Aprili eiusdem anni per ter senos menses in seminario theologico Trevirensi studiis philosophicis et theologicis operam dedi. Deinde academiam regiam Monasteriensem adii, ubi studiis philologicis per octies senos menses deditus docentes audivi V.V.D.D. Hagemann, Jostes, Koerting, Langen, Milchhoefer, Niehues, Nordhoff, Spicker, Stahl, Storck. Ibidem seminarii philologici, cui praesunt V.V.D.D. Langen et Stahl, per ter senos menses sodalis extraordinarius, sodalis ordinarius per quater senos menses eram, quorum per sex menses seminarii senior fui. Exercitationibus Germanicis ut interessem benigne permisit Storck.

Omnibus viris de me bene meritis gratias ago ac semper habebo maximas.